44434/A

D. CARL GOTTL. ROGISS,
PRACTIC. WRATISL.

SPECIMEN
DE AQVÆ SALVTARI
IN
FORVM MEDICVM
INFLVXV
ET FERE OPTIMO
CONTRA
VNIVERSOS MORBOS
PRÆSIDIO
FESTINANTE CALAMO
EXARATVM ET IN LVCEM
EDITVM.

WRATISLAVIÆ
APVD MICHAELEM HVBERTVM
M DCC XXXVII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ILLVSTRI, MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO, AMPLISSIMO NEC NON DOCTISSIMO DOMINO,

DOMINO

D. ANDREÆ ELIÆ BVECHNER,

SAC. CÆSAR. MAIEST. ARCHIATR. ET COMIT. PALAT. S.R. I. NOBILI, EPHEMERID. ACADEM. CÆSAR. NATVR. CVRIOS. DIRECTORI ET PRÆSIDI, INSTITVT. MEDICARVM PROFESS. PVBLIC. ET FACVLT. MED. ASSESSORI EXTRAORDINAR.

PATRONO SVO LONGE FAVENTISSIMO;

VT ET

NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO DOMINO,

DOMINO

GODOFREDO MILDIO,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORI LONGE GRAVISSIMO, PHYSICO WRATISLAVIENSIVM MERITISSIMO, PRACTICO FAMIGERATISSIMO;

NEC NON

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO DOMINO,

DOMINO

DAV. GVILIELMO PAVLI,

PHILOS. ET MEDIC. DOCTORI MERENTISSIMO. PHYSICO WRATISLAVIENSIVM CELEBRATISSIMO, PRACTICO FELICISSIMO.

PATRONIS AC FAVTORIBVS SVIS, OMNI QVO DECET CVLTV ET VVLTV DEVENERANDIS, HAS QVALES QVALES DE AQVAE SALVBRITATE PAGELLAS

D. D. D.

AVTHOR.

VIRI,

ILLVSTRIS MAGNIFICE;

NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI;

DOCTISSIMI,

PATRONI, FAVTORESQVE CVLTV ET VVLTV DEVENERANDI,

SAne magnum quid audeo, leviſſimo huic Tyrocinio, Tanta tam gravium, omnique Numero in Re Medica abſolutorum Magi-

ſtrorum; Nomina, præfigere non erubeſcens. Timantino caput pallio obnubilare potius, omnique evitare ſtudio conveniret, ne, ut audax ille Dædali filius, eruditionum tantarum Soles paulo propinquius inviſurus (quo authoritatem inde & æſtimationem lineolis impræſentiarum exaratis conciliarem a ſplendore Veſtro mutuandam) in mare contemtum mea relabatur Temeritas. Interim, quemadmodum, qui humiliori caſa oriuntur, id ſibi gloriæ ac decori ducunt, ſi idem ipſis cum ſuperioribus Nomen contigerit: ita humillima mea Muſa primipara, primum in humilitate & incognita obſcuritate ſua partum eniſa, gloriæ immortali ac ineffabili ſibi reputabit, ſi TANTORVM, QVORVM

CHA-

CHARA SIBI PECTORA æternum venerabitur, VIRORVM NOMINIBVS conſecrare & ipſorum Nominibus inſcribere primum hunc Ingenii fœtum, non INVITIS VOBIS licuerit ipſi. Tametſi etenim, (quem facile meis pagellis ominor effectum) iis vix parcere abſtineret marca Momi familia: tamen obſtupefacturam ipſam VOS eſſe, & Judicia pauliſper ſuſpenſuram, mihi firmiſſime perſuaſum teneo. Deinde, cum TIBI, MAGNIFICE BVECHNER, *qui plusquam paterna charitate me Erfordiæ complexus es, non omnino, qualia qualia in Re Medica conamina diſplicere, me præter omne meum meritum edocueris.*

 &

& voluntatem minimum (& ſi vires & occaſio deficiant) in ſtudio meo adhuc quotidie proficiendi, non adverſari opiner: non potui, quin TE, *ut &* VOS, *qui Reipubl. Medicæ apud Wratislavienſes Gubernaculum tenetis, & laudatisſima in excutiendis feliciter ægritudinibus, præitis exempla, Cenſores ac Patronos publice expetam. Ita etiam* TIBI, EXCELLENTISSIME MILDI, *multa debeo Beneficia, imo vitam, qua carius mihi nil eſſe poteſt, ipſam, quam cum* DEO *TV e mortis vinculis aliquot vicibus eripuiſti. TV vero,* NOBILISSIME ET OPTIME PAVLI, *me nihil quidem minus merentem & cogitantem de meliori aliis commen-*

mendaſti, & multa ſic favoris, clementiſſime patrocinantis, documenta dediſti. Nemini VESTRVM equidem VESTRAM CLEMENTIAM remunerari reapſe aptus ſum; ſed rebus tantum verba reddere, & pro ſalute Veſtra ardentiſſima Vota fundere, grata, ſed inops mea valet pietas, Vobis Vitam in morbis verſantibus ſanam, incolumem, & quæ bona modo cogitatione aſſequi poſſum apprecans, & hoc Schediaſma in gratæ mentis Teſſaram adjudicans. Credite, in ineffabile verget mihi ſolatium, ſi PATRONI OPTIMI, nec quale quale Tentamen hocce alto faſtidire ſupercilio, ſed benigna ipſius exceptione de novo, æſtimabilem

in Me VESTRVM AFFECTVM *teſtatum dare, inſimulque nec in poſterum expetendam enixe permiſſionem denegare velitis, humillimo cultu perſeverandi & moriendi*

TANTORVM NOMINVM

Cultor devinctiſſimus obſequioſiſſimus,

D. Carl Gottlieb Rogiſs,

Pr. Wr.

Tractatus de Aqua Procemium.

VEriſſimum profecto, necnon ad omnem ſcientiarum ambitum adplicabile eſt dicterium: *Nihil ſub ſole novum.* Glorientur equidem novaturientes ad maximum eniſas eſſe ſcientias & Artes cacumen, & ita ſplendidiſſimis recentiorum inventis adornatas, ut, an majus unquam accendi poſſit ipſis lumen, jure dubitari aſſeverent. Splendet inter artes eximie & noſtra ſalutaris, quippe quam, quod inventa ſpeciatim Anatomica ſpectat, dici vix poteſt, quantum immortali nomine pariter ac gloria digniſſimus *Ruyſchius* ipſam auxerit, amplificarit, ornarit, ut brevitatis ad id adductus amore, cætera Cæterorum arte & ferro inſignium Corporis machinati Diſſectorum inventa æque ac merita alto ſilentio premam. Hæc univerſa licet lubentiſſimus largiar, eſt tamen & in aliis vaſtum ipſius ambitum abſolventibus doctrinis, ut & hic

hic exclamemus: *Nihil ſub ſole novum.* Poſſem, ſi amplis delectarer excurſionibus, in omnes ejusdem partes ire, deque iis demonſtrare, quod, quæ ex ipſis impræſentiarum nosmet magna cum præ vetuſtioribus prærogativa ſcire gloriamur, ea nec latuerint ex omni parte majores, primosque artis parentes; tametſi nec ſub eodem nomine nec eadem methodo ventilata ſint. Sic Medicorum noſtrorum nemo, ſupremo *noſtro Hippocrate*, exiſtit ſuperior, qui ſuo jam tempore, pereximie, vereque mechanice de mechanica Corporis agendi ratione, de Natura, motu, de ſanitate, perinde ac morbo, philoſophabatur, ut adeo hodie, ubi obſoleta pauliſper ſecta, quam diceres jure Chymica reſpuere cœpere Medici ſal omne ex Pathologia, perinde ac viſcidum, ceu morborum cauſas univerſales, idque vix ultra primas vias ſapere potuerunt, illam, cujus pauliſper obliti videbantur poſteri Hippocratis, quæ inter Nos vero de novo viget, mechanice de motibus loquendi methodum, non jam inventam, verum revocatam modo ex oblivionis ſepulcris videas, quo, & hic: *Nihil eſſe ſub ſole novum* conſtare poterit inter Omnes. Quæ dum ita perpendo, anceps hæreo Practicam medicinæ partem contemplatus, an in ulla ſalutaris Artis

parte

parte tam multa exiſtimanda ſint, quæ novo & ad Seculum accommodato per filios veſtitu induta, proprii Ingenii eſſe partus hodierni ſomniant, licet, ſi excuſſa paulisper perverſa laboribus ſuis adulandi ratione, rem uti eſt, intueantur, nihil ſe novitatum, ſed tantum ea adduxiſſe confiteri teneantur quæ ferme cum ipſa arte nata videntur. Pagellæ negat ſpatium plura in dictorum confirmationem adducere, nec neceſſitatem id a me exigere perſuaſum habeo: ſiquidem tantum non unusquisque, qui Hiſtoriarum ſuæ Artis non abſoluta ignorantia obcœcatus eſt, vel cum iis, quæ protuli, ipſas artis Therapeuticæ theſes conferre vult, abunde an quicquam *& hic Novi ſub ſole conſiſtat?* dijudicabit. Sic, ut unum afferam exemplum, non novæ ſed antiquiſſimæ pariter virtutis ac notitiæ univerſale illud medicamentum cenſendum eſt, de cujus laude præſenti tempore omnes fere relationum novarum paginæ loquuntur, nec unquam ſatis delaudabunt; Aquam puto. Ita univerſale namque hoc Remedium eſt, ut vix morbum audias, quin curari hinc ipſum edocearis a Noſtris. Nec errant qui tot ipſi nectunt laudes, tanta cantant Encomia. Longe majori namque jure hæc ipſa ſibi vindicat Aqua, ac cætera cuncta, quæ fruſtraneas uſurpantium ſpes fal-

fallunt, & Nomine heroico excepto, nihil prorſus virtutum ferme tenent, quod tanto dignandum honore, tanta excipiendum aviditate foret. Scilicet univerſa illa, quibus ſpoliari Aurum contendunt, Tincturarum Solarium fabrefactores Patroni, licet ſumme amica Cordi & viribus clamitent, & eo usque procedere utentes illis aſſeverent, ut fere religioni ſibi ducere videas illos, qui amiſſo quodam charo ex familia capite omiſerunt has ſimul Solares Tincturas, quibus certo perſuaſi ſunt, fieri potuiſſe, ut multo longiori in his mortalitatis hoſpitiis morati fuiſſent ſpatio, ſi uſi fuiſſent; tamen ego quidem, ſi dicere quod res eſt debeam, eum, quem operationis aſſequitur felicitas gradum, acie intellectus mei non penetro, ſequutus acutiſſimum præter alios HOFFMANNVM *Obſerv. Phyſic. Chymic. L. III. Obſerv. 21. p 375.* Agitque hoc medicamen unice reſolvendo craſſeſcentem ſenſim M. S. & vires roborando; quo itidem fine & Aquam omnibus commendo atque ſingulis, non tantum ideo, quoniam ob particularum ſuarum fluxilitatem, ſanguini ſuum per partes iter reſtituit: ſed & ipſas vias Tono dehiſcentes firmat & admonet officii, imo quod Medicina eſt, quæ & pauperrimis largiſſima copia gratis præſto eſſe poteſt, nec tamen,

quan-

quantumvis non pretioſa ſit, alias habeat ſuperiores effectu. Ideo, cum & hæc Aqua ſit, de qua jam magnifice ſenſit cohortis medicæ Antiſtes GRAVISSIMVS HIPPOCRATES, GALENVS, CELSVS, quemadmodum & alii, quamque pariter magnifaciunt hodierni: factum inde fuit, ut ipſius canere laudes & ego in animum inducerem, idque non tantum ideo, quod me nil novi in antiquiſſimam artem inducturum velim, ſed & ob eam rationem ut, cum utique abuſus & optatiſſima vitiet Remedia, juſtum legitimumque uſum & iis, qui frigidæ potiſſimum adhibitionem inferis dignam pleno ore clamitant, ægros cum intenſiſſimo æſtu conflictantes maiori æſtu curare contendunt, demonſtrarem. Elegi Lector benevole methodum plane ſimplicem, naturalem tamen, & comprobandis, quæ adſtruo, aſſertis conformem, ſicque proceſſi, ut, poſtquam primo loco genuinam Morbos tam acutos quam Chronicos concipiendi methodum, quantum poſſibile ex Ratione & Experientia deduxeram, ſecundo, remotis aliis potus generibus ex diſquiſita & explorata Aquæ Natura, & Conſtitutionis partibus, ad ipſius vires, & operandi Rationem in Corpore pedem moverem, ita quidem, ut primum Acutas, ſecundo Chroni-

cas

cas ægritudines perſequerer, & eo usque de Aqua in genere philoſopharer. Cum vero duplicem hæc frigefactionis & calefactionis effectum communicet vel frigefacta, vel calefacta: quid utraque ipſius qualitas efficiat? in Acutis primo, deinde in Longis morbis demonſtravi, uti & de Balneis, Pediluviis ſemicupiis & Balneis internis, Clyſteribus ſcilicet, locutus fui, & quanta ipſorum ſit utilitas evici; quibus omnibus ultimo loco meam de ægros frigida conſpergendi, & abluendi methodo jam aliquomodo uſu venire in Noſtris viſa, ſententiam ex ratione placide & moderate ſubjunxi. Tu vero Candidiſſime Lector, me tantum ſpecimen & Tyrocinium non doctum conſeruiſſe opus revocabis TIBI in animum, ſique genus ſcripturæ videatur inconvenientius, me non de generoſo Vino, ſed de Aqua tantum ſimplici non generoſe, ac nonniſi ſimpliciter ſcribere ſcias. Vale faveque. Dab. e Muſæo Wratisl. d. 11. Auguſt. A. 1737.

In Nomine Jeſu.

§. I.

TAm eximio equidem Perfectiſſimi Creatoris & Conſilio & Beneficio, mortalium exſtru-
cta fuerat machina, ut continua Fluido-
rum in ſolida actione, horumque in
illa reniſu perpetuum humido per vias
iter conſtaret, ſicque corruptibile ad-
modum corpus ab inevitabilis alioquin
putredinis labe indeſinenti illorum, quæ
ad ulteriorem amplius circulationem
erant minus convenientia, per deſtina-
ta loca excretione, longe vindicaretur,
ſuisque, ad quos divinitus deſtinabatur,
actionibus, *rite, cumque voluptate & alacritate quadam* defungi poſſit, *quæ*
ſed quidem *faciendi potentia ſanitatis* ti-
tulo in ſcholis Medicorum eſt inſignita.

Homo ægrotat interdum tam ob Aër, quam ob ingeſta.

Sanitatis definitio.

A In-

Interim factum eſt, tum per aëris ambientis injurias, tum per ipſam eam mortalium conditionem, quia vix ab ejuscemodi ingeſtis ſibi temperant, quæ aliter ipſos afficere *& impotentiam quandam ſibi vivis inducere apta ſunt, functiones ſuas rite & cum vigore quodam perficiendi*, ut hinc cœperint ægrotare, cumque variis ſanitati inimicis affectibus conflictari. Cogitavere inde miſeri, qui fieri poſſet, ut hisce malorum retibus extricarentur, ſicque interno quodam, eoque mere automatico impulſu ad varia confugere anxie & adplicuere *corpora ad morbum tollendum*, h. e. medicamenta in quibus nec ſpem feſellerat ſemper exitus. Atque ubi hoc vel illud ſtatum ſuum alterare in meliorem obſervaverant, id poſteritati tradentes prima arti ſalutari fundamenta ſternebant.

Definitio morbi

Definitio medicamentorum.

§. II.

Creſcebat luſtris creſcentibus inſigniter ars hæc medica, &, ſive bruta morboſe affecta (nam & hæc nonnunquam minori cum voluptate & alacritate ſua perficiunt, h. e. ægrotant) quæ

Medicam artem adauxere quoque ſuggeſta a Brutis, licet & hinc

quæ ipſis proderant in humani generis ſolatium ſuggerebant, uti ſic vis plan- ;aginis Alexipharmaca contra araneas a bufone innotuiſſe fertur; ſive ipſi homines, poſtquam ſtructuram ſui corporis, diſſectis per laniones brutorum machinis paulisper ſuſpicati fuerant, ad ſimilia partibus ſuis corpora &c. accedebant, hincque affecto huic vel illi membro opem afferre tentabant, remedium ad ſtructuram læſi primario accedens applicantes, ſuccedentemque inde effectum poſitis in publico ſtatuis exarantes. Qua quidem in re licet vana multa artem jam ab initio irrepſiſſe negari non poſſit, in ſpecie, ubi ab externa rerum figura ad operationem poſtmodum in corpore argumentati ſunt: attamen multas hinc experientias, easque non omnes inutiles collectas fuiſſe, nemo, vel leviter hiſtoriæ medicæ pagellas pervagatus, inficiabitur. Sic e. g. ut aliquod adducam in medium exemplum, EXCELLENTISSIMVS WEDELIVS *in Amoenitatibus ſuis. Mat medicæ, ubi de ſignaturis tractat, ſignaturas exhibere Analogiam morbi pronunciat; ergo quæ, (concludit ille)*

ana multa ipſam corripuerint.

calculum æmulantur, ipſi medentur, quæ acuta & ſpinoſa ſunt, medentur doloribus acutis. Sic Renibus Aſarum, ſic lapides cancrorum Calculo ut & Lap. Iudaic. Nucl. Perſic. Quibus omnibus uti dictum eſt licet pleraque vana & inutilia nomina materiam medicam illaberentur; haud perpauca tamen bona ſimul reſultarunt in forum medicum *v. Wedel. in Amoen. Mat. med. Cap. de Signatur. Oſwald. Croll. in ſuo Libro de Signatur.*

§. III

Quo in cenſu nec non compoſita nonnunquam habentur.

Quamvis ergo negandum non ſit, eximium hodie culmen, ſcientiam medicam adeptam fuiſſe, tantum ex Anatomia lumen, ut haud amplius inſcitiæ noctem palpitent ipſius cultores: verum non leves medicinarum exercitus profligandis diris Sanitatis hoſtibus opponere poſſint; interim & hoc ſua luce radiat revidenda hæc eſſe remediorum agmina, hic quædam eliminanda, illic alia ſeligenda, ſicque paucioribus, iis tamen probatæ magis fidei arduum illud, quod circa aliorum vitam mortemque verſatur, negotium eſſe tentandum. Sane mirantur & obſtupeſcunt

ar-

artis Tyrones tantam medicamentorum cohortem, tam ineffabilem ipſorum molem, quorum uti ſola nomina terrore fere percutiunt diſcentes, eorundemque gravant memoriam; ita, qualenam ex commendatis ſeligant? fluctuare faciunt primum in praxeos clinicæ campis militantes, Ægrorumque repetita plurium periclitatione Crumenas expiſcantur. Recte idcirco *Verulamius multitudinem medicamentorum Ignorantiæ filiam nuncupavit, de Augment. ſcientiar. L. IV. p. 110. Etſi, inquiens, ex opera Medicorum quotidiana, quam inviſendo, aſſiſtendo, præſcribendo, ægrotis ſubminiſtrant; putaret quisquam haud ſegniter illos curationem perſequi, atque in eadem certa quaſi via inſiſtere: tamen ſiquis ea, quæ præſcribere & adminiſtrare ſolent, accuratius introſpiciat, inveniet pleraque vacillationis & inconſtantiæ plena, absque certo curationis præviſa fine.* Nimirum, ſi quod res eſt, dicendum, plurimæ omnino Medicinæ ad corpus translatæ ſic habent, ut, cum minori ipſas quantitate capere fas ſit, opem ferre exoptatam minus valeant: ſiquidem corpora

ſunt medicamenta, quæ ideo ad noſtrum allata corpus illud afficere, inque ipſum corporice agere, & hujus demum reactione ulterius in ipſo provehi, & cum materia morbi conflictari tenentur; ut inde jure dictum ſit: *non agere medicamenta activitate, ſed receptivitate.* Niſi hæc etenim ſola effectus medicamenti canenda cauſa exiſteret; quare nec in corpus mortuum agerent ipſa? non daretur ratio. Si ergo in pauciori ſumantur copia nulla reſpondent illi, qua eſt materies morbifica, quantitati; unde cum curare morbum ſit cauſam ipſius tollere, hæc nec cauſam tollere, ſicque nec curare valent. Majori vero mole ingurgitata ipſa, eo, quod calidiora ſunt, nimium humorum intendunt motum, orgaſmos excitant, & ob id ipſum corpus viribus exuunt, naturamque eo usque debilitant, ut avocata hinc forſitan ab alio, quod intendebat, negotio, debellando ulterius malo longe reddatur impar. Nec mea hæc tantum eſt de medicamentis vulgo magnifactis ſuſpicio; ſed HOFFMANNVS illuſtris pari de ipſis ratione ſentit, uti in diſſer-

tat.

tat. de Aquæ frigidæ potu : *Et ipſa illa remedia generoſa*, inquit, *quibus magna juvandi virtus ineſt*, *a temperie deſciſcunt*, *& ad extremum quoddam inclinant*; nom ſcite non minus, quam vere tradit MARTIANVS *Comment. in Hippocr. de Humid. uſu p. 28. Mediocritas*, *inquiens*, *in calefaciendo & frigefaciendo ſicuti extra noxam eſt*; *ita parum prodeſſe poteſt. Quippe remedium temperatum, ut aliquando* CELSVS *dixit*, *æque tutum æque debile eſt.* Melius ergo conſulerent tam ipſis noſtræ artis incrementis, quam ægrorum rebus, ſi tot, tantas tamque ſæpe numero ſtupendas formularum ſarcinas colligere abhorrerent aliquando Medici, & magis ſimplicibus, iisque tam rationis quam experientiæ ſuffragio præſtantioribus, remediis uterentur. In tanto enim medicamentorum numero, qui in una nonnunquam formula conſpiciendus eſt, atque ubi tanta fit ſalium diverſorum commixtio, ut non poſſint non ſe ipſa invicem deſtruere, ſcire non valent, cuinam potiſſimum ex præſcriptis immo annon naturæ potius bonitati operatio ſubſequuta accepta

cepta ferenda ſit, ſi forte convaluerit patiens, ut taceam, effectum felicem expectari minus ibi poſſe, ubi plane aliam nanſciſcitur faciem medicamentum, ex tam multorum connubio exortum.

§. IV.

Simpliciſſima optima ſæpe remedia ſunt.

Ipſa pro me militat experientia; quippe quæ, præſenti potiſſimum temporis iniquitate, ubi tantam vidimus inter Mortales cædem, ſumme decantat ſimplicium, in oppugnanda dira hac morbona laudes. Evictum nimirum eſt, nunquam fuiſſe feliciores in praxi ſua (niſi naturæ ægrotantis bonitas Medici ſuperaverit inſcitiam) qui neglectis ſimpliciſſimis, iisque longe optimæ indolis remediis, compoſita, eaque calidiora in uſum vocarunt. Corte, qui citato HOFFMANNO cum Practicorum peritiſſimis fidem habentes *fixiora tantum Bezoardica*, in quorum genere *Lap. Cancr. Mater Perlar. CC. ſ. igne, Antimon. diaphor. ſunt, nupta nitratis* uſurparunt, potumque tenuem diluentem, copioſum commendarunt, cœtera regimini leniſſimam *Diapnoen* in-

intendenti commendantes, uſi fuerunt, ii non paucos ab immani hac mortis tyrannide liberaſſe obſervati ſunt. Nec animus eſt, nec inſtituti patitur ratio, ut late longeque excurrens de ſimplicibus aliis dicam, verum de ſimpliciſſimo, ſummeque omnium domeſtico remedio, quod, licet ſine ſumtibus haberi poſſit, tamen maximi eſt pretii, DE AQVA SIMPLICI dicere, eamque *quatenus ex rationis* Conſilio, *experientiæque* commendatione commendari magnopere meretur, breviſſimis ſecundum rationis attamen ſobriæ dictamen, nullis obrutus præjudiciis decidere bono cum DEO in animum induxi.

§. V.

Patebit etiam ex inferioribus me ab Aquæ commendando impræſentiarum uſu nec decoctam ipſam cum *Radic.* & *Herbis excludere*; ſed tamen & hoc largior lubentiſſimus, de *Aqua potiſſimum ſimplici* h. e. uti extrahitur e ſcaturigine, quæ vel plane non, vel tantum cum *Succ. Citr.* & *Sachari q. ſ.* pro grato ſapore, portione vel *Syrup* cujuſpiam, *uti Rub. id. Fl. Tunic.* &c. vel *Julep. Roſar.*

Nec ubi de Aqua ſ. dicitur ptiſanæ & decocta & infuſa ab hoc cenſu excluduntur.

ſar. &c. commiſtione maritatur, verba facere mecum conſtituiſſe: Interim cum & ipſe artis noſtræ Parens HIPPOCRATES Ptiſanas potiſſimum commendet ex Hord. Aven. &c. decoctas GALENO *non obſtante*, qui frigidiſſimam ad ardentes ad ſatietatem commendavit; Nec illas Ptiſanas excludo, æque ac iſtam decoctionem, quæ ex *rad. Sarſapar. Chin. Raſ. CC. Ebore &c.* paratur, concedo, quæ quippe omnes in affectibus ubi conſtitutus in majori motu ſanguis nimium reſolutas poſſidet particulas; quæ iterum ut legitime coëant, glutine quodam opus habent, quo vix melius quicquam ſperabis jure, illo glutinante & obviſcante leniſſime principio quod ex dictis Oſſibus coctione aſſequeris.

§. VI.

Corporis ſtructura & Fabrica fundamenti loco ponitur.

Vt rite vero procedam ſub primo ſtatim tractationis meæ limine repeto, quod *ſolidæ* ſint & *fluida*, ex quibus *corpus noſtrum* conflatum eſt, *partes*. Atque inſtructa ſunt *vi quadam elaſtica ſolida* noſtra ut *impulſa* a *Fluidis* reniti & illa propellere per vaſa, ſicque non

ad

d quasvis ſolum partes ſanguinem ad-
ehere; verum & ſequeſtrationem re-
quorum humorum, procurare vale-
nt, uti Phyſiologia accuratius edocet;
erinde ac tamdiu ſanitatem adeſſe pro-
unciat, quamdiu legitima hæc dura-
one agunt. (§. 1) Cum vario vero
nodo contingere ſic poſſit, ut vel *Flui-*
a proportionata quantitate adeſſe deſti-
ata illam hanc *quantitatem excedant*,
e aut *nimia*, aut *minori* adſint *copia*;
el non *eam* inter ſe, qua eſſe debebant,
roportionem conſervent, & hinc *qua-*
tate peccent: vel ipſa *ſolida* vel nimi-
m intendantur in *motu* vel deſciſcant,
el tam *ſolida* quam *Fluida ſimul* dege-
erent: oriuntur hinc variæ impoten-
æ corporis viventis, quæ quo minus
ctiones decenter perficiamus obſtant,
ti docet Pathologia.

§. VII.

Per dicta jam apparet itaque in ge-
nere alterari eo modo & ſolida & flui-
da poſſe, ut peregrinum quid in ſe re-
cipiant, quo vitiatur quod antea erat
naturale. Specialiori ergo opus erit
paſſionum humanarum perſcrutatione
no-

Morbique, qui in ipſo generantur, quodammodo perpenduntur.

nobis, in remedium ipſis optatum inquiſituris. Revocandum eſt breviſſimis modo (non enim Pathologiam exarabimus) quod in ſcholis duplicis dicantur generis morbi, aliis quidem cito & invadentibus & ad vitam mortemve exeuntibus *acutisque* dictis, aliis vero quam diutiſſime trahentibus & ſine notabili ſæpe initio incipientibus & vexantibus, *Chronicorumque* titulo notis.

§. VIII.

Et primo quidem loco acuti.

Ex acutis (ſive illis, qui, quoniam vires materiæ morbificæ, naturæque ægrotantis ſunt inæquales, ſive ſi illæ majores his ſint, citius & vehementius affligunt, velque ad mortem niſi exſuperantia naturæ virium obtingant, decurrunt) primum *febres* expendamus, ubi ex collatis & perpenſis omnibus ſignis ad ejus cauſam philoſophabimur, huicque an conveniat Aqua? examinaturi ex *ipſius natura & proprietatibus* ſumus.

§. IX.

Et ex his febres exami-

Si febris acuta aggrediatur, ægrotantes afficiuntur horripilatione, capitis lum-

umborumque dolore, oppreſſione pe-ctoris, anxietatibus præcordiorum, do-lore hypochondriorum obtuſo & gra-vativo, defatigatione cita, laſſitudine ſpontanea, pulſu celeri frequenti, mo-do magno, modo debili, & contracto, ſiti plus minus intenſa pro morbi vel malignitate vel bonitate, Urina, ut plu-rimum vel ſubruffa, vel plane non a naturali decedente. *nantur ex ſymptomatum enarratione.*

§. X.

Nec horripilatio, nec dolor, nec pectoris oppreſſio, nec ſitis intercur-rens, nec pulſus frequens, celer &c. concipi poſſunt *ſine fortiori vaſorum in ſpecie vero exteriorum conſtrictione, ſive ſpasmo exteriorum.* Ubi enim hic adeſt, retroaguntur humida noſtri corporis, motu penitus inverſo, & a Peripheria verſus centrum directo. Cum vero omnis in partibus quibuslibet calor a ſanguine in iis præſente iterque confi-ciente proficiſcatur, hic vero naturali in ſtatu, h. e. ſi ſpaſmo non teneantur viæ, adſit ſemper; horror ergo caloris contrarium a cauſa contraria h. e. delas-ſato ſanguinis in exterioribus circuitu *Quorum datur ratio.*

ex-

exeat neceſſe eſt. Ex hoc eodem ſpasmo, majori regurgitat ſanguis ad cerebrum copia, & dum carotides depoſita demum exteriori ſua tunica, eoque firmiore, capitis intrant cava, indeque minus adventanti cum impetu ſanguini reſiſtere poſſunt; diſtenduntur inde, & ingrate afficiuntur, ut dolor enaſcatur, qui circa lumbos afficiens pariter ſpaſmi, ſpinalem medullam infeſtantis exiſtit ſoboles.

§. XI.

Vlterior ſymptomatum inveſtigatio.

Porro ex aſſumta hypotheſi ſponte ſua colligere licet, quod cor, nimia accedentem quantitate ſanguinem non valeat recipere ſtatim plenarie, multoque minus iterum propellere, quare diſtenſum ipſum per morantem paulisper in Ventriculis ſaguinem, fluctuat, minusque celer hujus fluidi ſanguinei per pulmonum vaſa trajectus datur, ut adeo anxietatis præcordialis & ſpirandi anguſtiæ, vel oppreſſionis Pectoris ratio pateſcat. Pari ratione de pulſu celeri frequenti, ſæpe numero contracto &c. ſtatuendum. Vt taceam motum arteriæ a cordis dependere motu:

u: & ſic cordis motum tremulum & ɔntractum talem itidem pulſum ex-ludere. Criſpata nimirum ſpaſtiæ arte-a, contractus, celerior, frequentior ær excitatum a ſanguine conquaſſato ſtum micare, Urina vero inde rubra, b partium ſulphurearum admiſtionem ingi ſolet.

§. XII.

Ex dictis, verbo acuti morbi unice ɔnſiſtit ratio ex natura in aucto præter aturam ſolidorum perinde ac fluido-um motu, idque tam certe, ut & acu-ſſimus ille morborum acutorum, eſtis ipſa, in illo inflammationi fortis-mæ & citiſſimæ juncto conſiſtat, iodo hac differentia data, ut more ma-gnarum cunctarum lympham ſpiritu-m animalium pabulum & ſemen con-minet, ſicque cum unica roboris cau-ſint ſpiritus (per Phyſiol.) materiam ɔſarum tollendo, ipſas conſumat vires uare præter dicta, *ſubita virium proſtra-o*, aſſociari majori equidem in gradu ſuevit: cum in acutis aliis minori ntum præſto ſit gradu, magisque cum iorbo ſenſim paulatimque increſcat.

Ex dictis cauſa genuina acutorum evincitur.

§. XIII.

§. XIII.

Non illis curatis qui in alcali ipſam rejiciunt.

Mittimus univerſam cum illis controverſiam, qui moruum quadam in corpore oblivione capti ad fictas nonnunquam materiarum vel figuras vel qualitates ceu ſacrum, *ſane de morbis* philoſophandi principium, confugiunt; inque ſalia alcalica exaltata ſulphuris ſimul adaucti partes ſolventia, & inde æſtum (quem unam veramque ſymptomatum arbitrantur originem) excitantia, culpam rejiciunt. Adducant hujus hypotheſeos Patroni experimenta, quæ mirifice, hæc probandi fine, extollunt, dicantque de alcali & ſulphureo quædam cocta rubram efficiant ſubſtantiam, oventque Urinæ in febribus rubentis hinc ſeſe detexiſſe cauſam, objiciantque, ipſam curandi methodum ſi contraria curentur per contraria; febres hæ neceſſario hinc, quia omnium optime curantur per acidula, alcalici quicquam pro cauſa fovere. Sit quid ſit, ut taceam nondum ipſos cum acidiſtis ſic dictis convenire, qui acidum morborum & maxime acutorum cauſam clamitant: ſane tot ſunt, quæ pro & contra diſputan-

tantur argumenta, tamque acuta, ut nondum ſatis diſploſus mihi WILHELM TEN RHYNE videatur *de ſalium figuris p. 315. differens, & acidum innumera inquiens & ferme auſim dicere ſingula hanc in veritatem (acidis ſolis acumen competere) conſpirant experimenta, quæ quoque ex contrariorum juxta poſitione magis eluceſcunt, ubi omnia calcinata (ſcilicet alcalina) figuris notabilibus carere docet empiria.* Et ſane ſi JVNCKERIO *in Medico præſenti ſeculo accommod.* fides habenda ſit *alcalium uti ipſe ait non eſt agere ſed pati, ſeu recipere,* quaſi vaginæ competit recipere in ſe gladium *v. p. 18. ſect. I. C. I.*

§. XIV.

Poſſem ſi inſtituti ratio pateretur anguſtos anguſtæ tractationis cancellos transmigrare, facta legitima ſanguinis trutinatione, inpoſſibilitatem tantæ ſalium vel ſulphuris exſuperantiæ deducere, hocque fine HOMBERGII illud, quod *citatur in Academ. ſcientiar. Reg. Pariſ. ad A. 1712. p. 9-18. Experimentum adducere, quo, ex XVI. ℔ ſanguinis 6 ℔ ſolidi ſuperſtites poſt examen chymicum*

Quique experimentorum cum ſanguine factorum fide de impoſſibilitate tantæ ſalium & in ſtatu p. n. abundantiæ convincuntur.

fuiſſe edocet; quo rigoroſius continuato eo perduxit, ut eam inter partes ipſius conſtituentes delineari proportionem poſſe ſibi viſus ſit, ut *ſerum haberet ut 1000. ſal alcali ut 1. ſal acidum 2. terreæ partes 22½. ſulphureæ 25. vel 30.* Aut ſi clariora quis velit clariſſ. *Hallenſium* HOFFMANNVM audiat, qui facto cum *ſanguinis* ℥xij *octo* obtinuit *Liquidi, quatuor vero ſolidi* uncias, ut adeo longe majori in corpore copia fluida adſint præ ſolidis. Quare concipere mihi quidem ægre poſſum eo usque deprimi ſeroſas poſſe cum reliquis Terreo-ſulphureis partes, ut morbo ſalino inducendo ſufficiant: ad tantam enim ſymptomatum ſegetem producendam minus certe valere videntur pauciſſima copia præſentia ſalia, & igne demum Chymico elicienda, niſi venenatæ ſint indolis. Taceo Illuſtr. BOERHAVIVM inſtituto, cum ſanguine recentiſſime e vena tam ſani, quam ex acuto morboſi corporis emiſſo tentamine ab effuſione acidi, alcalive, ne ullam quidem efferveſcentiæ cujuspiam notam vel titillationem oculi ab effuſo ſani hominis in ipſum ſanguine, obſervaſſe,

quod

quod tamen, ſi horum ſalium quid ineſſet in maſſa ſanguinea, neceſſario fieri debuiſſet. Quare ab effectu abſente ad cauſam abſentem regredimur hincque non parum ſalſæ Pathologiæ ſaporem perverti contendimus.

§. XV.

Sit, ut redeam in circulos quid, ſit: ſpaſmos tamen præſentes, nec ii negabunt, qui quid ejus nomine comprehendatur, norunt. Et certe illa acrimonia, quam ſalinoſæ Pathologiæ adoratores circumferunt, ſi etiam adeſſe admittatur in acutis, ubi nervoſis implicatur partibus, in illarum interſtitia penetrat, vellicat, quæ reſiſtentes reactione ſua æquali conſtringuntur præter naturam ſicque id efficiunt, quod ſpaſmum dicimus.

Et dicta ab ipſis acrimonia producit irritationem & ſpaſmum, conſequenter nobiſcum conſentiunt.

§. XVI.

Dolores uti ſunt progenies ſpaſmorum; (vide HOFFM. in *Pathol. tam generali T. III. quam ſpeciali T. IV. M. R. S*) ita quod de ſpaſmo, idem & de dolore valet. Nimirum ubi fortius fibræ conſtringuntur, materiam inhærentem, fir-

Dolorum diſquiſitio.

 mius

adhuc ſuis tubulis impingunt, & *ſenſationem triſtem efficiunt*, quæ dicitur DOLOR. Luculenta hujus rei teſtimonia dolores capitis enormes præbent, dolor inteſtinorum Colicus, Cholericus, Nephriticus, Iſchiadicus, ardor & difficultas Urinæ &c. In quibus omnibus cum conſpiciatur in illis quæ invadunt ſubjectis, *Extremorum horror*, immo *vaſorum exteriorum inprimis a Principio detumeſcentia*, *pallor faciei*, *contractus frequensque pulſus*, *Urina ut plurimum aquea & tenuis*, *ungues pallidiores*, *dolor exquiſitiſſimus quæ omnia ſpaſmorum exiſtunt indicia*; patet inde cauſam recte dijudicari, qui pro mea ſtant ſententia. (§. 10.) Accedit omnes hos affectus ut plurimum & perſonas invadere Temperamenti ejusmodi, quod ad ſpasmos inſigniter jam tum a natura dependet (quale quidem Cholericum & Sanguineum dici poteſt,) & illos ſæpe prehendere, qui vel iracundiæ affectui vel mœrori, frigorique improvide expoſuerunt corpora. Cum autem frigus experientia teſte poros cutis non tantum conſtringat: ſed & retropellat æque ac terror humores; Ira vero itidem

lem ob bilis in duodenum effuſione
eriſtalſin invertat, *& ſic ventriculi cri-
ūet parietes, ut contenta cum impetu per
ſuperiora Cholera reddant*, vel, ſi mate-
iæ hujus irritativæ quicquam ulterius in
nteſtina delabatur inferiora ad excernen-
um exſtimulando per os inferius elabatur:*
atet itidem a ſpaſmo hæc omnia mala
roficiſci, ut taceam multos ſubito poſt
acundiam Cholericum non modo,
d & *Colicum affectum* incidere: uti hi-
oriæ medicæ quemvis abunde docent.

§. XVII.

Plura paſſionum acutarum exempla *Plura*
olo adducere; ſcribo etenim Medicis, *quisque*
que ſobrie philoſophantibus, qui in- *ipſe pote-*
an plures ad hoc caput referri poſ- *rit per-*
nt ſin minus judicabunt ipſi. Quia *quirere.*
ntraria juxta ſe poſita eo magis eluce-
unt, hinc, ut eo melius Aquæ eluce-
at præſtantia, cum Cereviſia, aliisque
tibus plane ſpirituoſis ipſam lubet
nferre. Sane & cereviſiam partibus
cidis, ſulphureis, oleoſis, Terreo-
nis plus vel minus conſtare, vel ipſe
dit ſapor: quo ſpirituoſior autem
ſtit adhuc potus, eo plus de princi-

pio ſulphureo-ſubtiliori, & ſalino, nonnunquam acido auſtero-tartareo participat. Hæc ſpirituoſa ergo pota non tantum non diluunt ſatis fluida corporis peccantia, ſed ſi de acido plus teneant, lympham inſpiſſant, vel ſi reſolutius ſulphur poſſideant, ſanguinem exæſtuant & humores fundunt. Potu ergo & ſpirituoſo & viſcido a cura remoto ad Aquam merito tranſitum inſtituimus, & an in his malis prodeſſe an potius obeſſe apta ſit ex ejus natura & conſtitutionis partibus deducam.

§. XVIII.

Nectamen niſi diverſæ Aquæ ſunt.

Vnius ejusdemque vero generis *Aquas* neutiquam eſſe dicere teneor, uti aut ſolus *ſapor aut ignis* Chymicus optimi erunt judices. Nimirum variis referta eſt *partibus heterogeneis*, iisque vel *ſalinis* vel *terreis*, prouti ex locis variis extrahitur variasque venis *mineralium foecundatas terras* præterlabitur, ut itaque ex iis quidquam abſorbeant neceſſe eſt. Hinc vere non minus quam ſapienter dixit HIPPOCRATES: *Aquas multum inter ſe differre & guſtu & pondere & ſtatione & virtute alias alias præſtare.* Deinde

nec

nec *illa*, *quam leviſſimam* dixeris, uti inferioribus dicetur, *homogeneum adeo* corpus eſt, verum particulis *aëreo-æthereis* adimpletum, uti docet *Antlia Pneumatica*, cui ſubmiſſa permultas dimittit *bullulas aëreas.* Pariter ſi deſtillatur *Aqua fontana ex menſuris* ipſius duabus decies repetita in cucurbita vitrea deſtillatione inſignem *tartareæ maſſæ molem inſtar dorſi cultelli latam* relinquit docente illuſtri HOFFMANNO; ut ideo præter *aërem* contentum inſignem insimul *partium terreſtrium* copiam contineat. Relinquimus equidem in medio BALDVINI *in Tract. Aura Auræ p. 167.* de Aqua prolatam hypotheſin, quod & *ſimplex ſal, criſtallinum, ſal fixum, ſal volatile, ſal Aquæ* & Balſamum univerſale dictum fovere, tamen dictas paulo ante partes ingredientes ipſi denegare nec volumus nec poſſumus.

§. XIX.

Indicationes in acutis attendendæ.

Cum ergo enarrati hucusque affectus p. naturales in majori fluidorum & ſolidorum motu conſiſtant, (§. 12.) contraria vero per contraria curentur; præcipua hæc medentis debet eſſe in-

tentio: ut *deprimat motum nimis exaltatum, extinguat æſtum p. n. præparet & advehat materiem ad loca excretionibus idonea*, perque *hæc, quæque naturam reſpicere ſed officio pauliſper imparem pervidet, obſervat*, quantum fieri poteſt, *placide & ſine noxa exterminet, ſymptomatibusque legitime obviam procedat.* Ergo ſi demonſtrari poterit Aquam his indicationibus vel in genere, vel quibusvis in ſpecie ſatisfacere, ipſam optimam præbere hoc in malorum genere medicinam ſimul & ſemel fiet clarum.

§. XX.

Quibus optime ſatisfacit Aqua.

Aqua quia bullulas dimittit ſub campana in Antlia Pneumatica, debet eſſe corpus, quod poſſidet interſtitia aëre repleta. (§. 18. & Phyſic.) Ac hæc ergo recipere & alia poteſt corpora, & intime cum iis ſe *commiſcere ita, ut unum idemque ſit Aqua cum illo, quod recepit in ſuos poros, corpus*; h. e. SOLVIT QVÆDAM CORPORA uti exemplo domeſtico cum ſolutione ſalis communis edocemur. Quo ampliora ergo ſunt ipſius interſtitia; eo plus recipere in ſe valet de aliorum corporum partibus h. e. quo

Definitio ſolutionis.

pu-

rior & levior eſt Aqua; eo plus ſolvit. einde quia *fluxile Aqua corpus eſt*, & on *maiorem* poſſidet *cohæſionem*, ſed cile quasdam dimittit particulas *ipſa in terſtitia aliorum penetrat* corporum que disjungit, & ſecum rapit, quod at antea conjunctum, & cohærebat, oc vero dicitur *diluere & fluidum redere.* Patent hinc itaque hi Aquæ effectus, qui dicuntur SOLVERE ET DIVERE. Si ergo a ſalino-bilioſo-lixivio- vel viſcido vel in primis vel diſſitis agis viis hærente principio, uti in holerica Colica Iſchiadica &c paſſio- dependeat ſpaſmus, atrociſſimorum i tormentorum fœcundiſſima progeitrix: *optimum erit Aqua per dicta an- ſpasmodicum*, pariter etiam ac ex hoc apite *quia ſpasmus in fibra rigida exten-* conſiſtit *Aqua vero diluendo & humeando laxat tepida.* Solvit ſalia infixa, uæ *nimis ſoluta*, h. e. in *minutiſſimas bdiviſa particulas non amplius ita gunt*, vi & tenore Canonis divulgati; einde *æſtum præſentem temperat, par- s ſulphureas imbibens*, motumque ciatiorem *compeſcens vaſa interpoſitis is leviſſimis & blande abluentibus par-*

ticulis ad interſtitia emolliens; idque quod ante ad excretionem ineptum erat *diluit* & eo usque fluidificat, ut per *minutiores meatus excludi*, *& ſive per vaſa cutis*, *ſe- & excretoria*, *ſive per meatus Urinarios*, *ſive per alvum reddi queat*: Idque in genere de quovis ſpasmo dictum velim, ſiquidem Aqua vi ſua emolliente, & irritans peregrinum diſcutiente, fibris tenſis opitulatur, & *cauſam ſpasmi*, h. e. Objectum peregrinum irritativum *tollendo*, *ipſum tollit effectum*, *ſpaſticam & dolorificam videlicet criſpaturam*. *Calor aërem rarefacit*, uti ex phyſicis notum eſt, ergo & *aërem in Aqua contentum expandit*, qui aliis inſinuatus cum *Aqua partibus ipſarum diducit particulas*, alias *comprimendo*, alias *dilatando*, & ſic *dislocando*, unde omne craſſum & *ſolidum attenuat*, *diſſolvit*, & ad circulationem fluida noſtri corporis, in qua unica vitæ ſanitatisque poſita eſt ratio, diſponit. Ergo optimæ tuetur Medicinæ titulum Aqua.

§. XXI.

Experientiæ ſuffragia. Nec vanis opinionum figmentis ludentis ſeſeque ipſam decipientis rationis;

iis; verum ipſius experientiæ teſtamen-
o confirmata ſunt quæ dixi: Veluti e-
nim nunquam tot ægritudinum myria-
des paſſum eſt humanum genus ubi
Aquæ potum vulgato nunc *vinorum*, &
variarum *ſic dictarum Aquarum vitæ*,
ipſiusque *cereviſiæ* potui, eique libera-
liori anteferebant; verum maxima pas-
ſionum morbificarum cohors jam pro-
diit, ubi non *ſæpius ægrotare ſolum*, qui
ab *Aqua abſtinent*; verum longe debi-
lioris texturæ, naturæque deprehen-
duntur, potatoribus Aquæ. Deinde
ruſtici, & qui Aquam adamant, longe
citius & felicius a morbis evadunt, ſine
ulla ſæpe medicina, Aquæ ſolo in acutis
potu, uti in Epidemia præterlapſa ubi-
que fere & ſemper obſervare contigit.
Memini hæc ſcribens HOFFMANNI,
qui in *Med. Rat. Syſtem. Tom. IV.* de pe-
techiz. plures maxime Aquæ potu ſine
copioſo medicamentorum uſu a peri-
culoſo hoc morbo evaſiſſe aſſeverat,
dum, uti nec non ex aliorum adducit
authoritate, & experientia, hinc alvus
fluxerit liberior, cutis aperta fuerint
ſpiracula, ſomnus aceſſerit, dolorum-
que ſubſequutum lenimentum.

§. XXII.

§. XXII.

Progreſſus ad Chronicos morbos.

Miſſis jam acutis ad Chronicos pedem movebimus affectus, qui, quoniam diutius trahunt, majorem virium, naturæ morbique ſupponunt æqualitatem, ita tamen, ut, quoniam viſcidior & craſſior eſt morbi materies fibraque laxior, non facile diſcuti & per deſtinata loca evehi poſſit vid. HOFFMANN. *Pathol. general. Cap. III. pag. 48. Schol. ad §. 24.*

§. XXIII.

Indicationes in Chronicis generales.

Qui Chronicas ergo curare vult ægritudines Medicus, *viſcidum humorum reſolvere, ipſosque inutiles ad ſequeſtrationem ex corpore diſponere, ac denique per congrua Emunctoria ejicere, partes vero in tono remiſſas obfirmare* tenetur. Nimirum licet ſymptomata, quibus Chronica ſtipantur mala, ſpasmum a ſævientis tyrannidis cauſa nulla excludant, uti pluribus inferius pateſcet: tamen dubitari minus poteſt primam horum omnium originem a fibra *relaxata & Atonica* reddita exire: Poteſt ſcilicet *ſimul adeſſe & ſpasmus & Atonia.* Cum primum enim a tono remittant fibræ,

flui-

nida contenta minus compellunt, mi-
us reſolvunt & ipſa per corpus traji-
unt; hinc illa *inſpiſſantur*, *viſcida red-
untur*, & minutiſſima permeare vaſcu-
 prohibentur, *quæ obſtruunt*, & in
lis *ſtagnant*, & ad *conſtrictionem p. n.*
rritant, h. e. *ſpasmum inducunt.* Hæc
uncta in Chronicis peccare docebunt
equentia.

§. XXIV.

Vti *inter acutas febres continuæ* ſic in *Febres intermittentes.*
Chronicis primariæ *ſunt intermittentes.*
Nemini non notum eſt, ſive tertiana,
ſive quartana, ſive quotidiana ſit, niſi
um *horrore extremorum*, *dolore lum-
orum*, *dorſi*, *capitisque gravativo*, *tre-
nore*, *aliqua artuum laſſitudine* (in ſpe-
ie *quartana cum dolore circa oſſa*) *pallore
aciei*, *unguium pallore*, *pulſu celeri & fre-
uenti*, *duro*. *Urina Aquea & alba ac-
edere*, quæ cuncta, qui perpendit
ymptomata, æque ac cum iis quæ di-
cta ſunt. §. *de acut.* componit, *a ſpasmo*
proficiſci nullus negabit, qui, cum, ut
plurimum in febribus *ventriculus* cum
inteſtinali tractu viſceribusque imi ventris
patiatur, primario *ab iis* incipere, &
quia

quia cum univerſi *corporis nervis* pri-
marum *viarum nervos* conſentire per
Anatomiam ſit in aprico poſitum, reli-
quis communicari partibus & *ſpinalem
præſertim medullam* (unde dorſi dolor)
afficere, renales ſtringere tubulos (un-
de Aquea Urina) & *inæqualem ſangui-
nis & ſpirituum in conſtricta ex parte
vaſcula influxum inducere* valet, qui
unica exiſtit *tremoris ſive conſtrictionis
& diſtenſionis* inæqualis cauſa & geni-
trix.

§. XXV.

Rationes. Nec ſuis dicta carent rationibus.
Primo enim maxime eo tempore oc-
curere videbis febres intermittentes,
ubi ab externis aëris frigidioris injuriis
exteriora ſtringuntur, ſummeque ſa-
lutaris illa ſordium per cutis corticem
cribratio inhibetur, unde variæ in iis in
ſpecie, quos atro notat lapillo, *illegiti-
mus rerum non naturalium uſus*, eſculen-
torum videlicet viſcidiorum, tenacium,
craſſiorum, potuumque ſpirituoſorum,
unde ſordium variarum ob vitiata non
ſolum menſtrua ſua, ſed & tonum de-
ſtructum & chylificationem læſam fit of-
fici-

:ina ventriculus cum inteſtinis reli-
uis. Si æſtiva vexent tempeſtate inter-
ittentes, maxime eos infeſtant, qui
c. corpus motu nimio ſub coelo cali-
ore exæſtuarunt, potuque deinde fri-
diore, vel aura in ſpecie veſpertina
igidiore dilacerarunt, uti omnes elo-
uuntur obſervationum & hiſtoriarum
Iedicarum conditores.

§. XXVI.

Inſignium vixque dicendorum ſatis ffectuum morboſorum fomes eſt *ma-m ſic dictum Hypochondriacum*; quod aſticis criſpaturis tantum non univer-ım ferme corpus excruciat, uti ſym-tomata docent, quibus infeſtat, quæ ınt *flatuum incarceratio*, *tumidus & rgens aëre ventriculus cum reliquo ca-ali inteſtinali*, *deſcenſus hinc Diaphra-mati denegatus*, *reſpiratio itaque*, *ob pansionem pulmonum & introitum aë-s ſufficientem denegatum, difficilior*, *ca-tis dolores ex denegato liberiori ſangui-s per cerebri vias circuitu*, *cordis palpi-tiones & anxietates* ex hoc eodem fun-amento, *Colica flatulenta*, *cardialgia atulento-ſpaſmodica*, *alvus obſtipatior*, ex

Malum hypochondriacum.

ex conſtrictione inteſtinorum, *Urina tenuis & Aquoſa*, (§. 24.) & cuncta, ut paucis multa dicam, quæ ex *digeſtione vitiata* propullulare mala poſſunt. In hoc pariter affectu ſpasmum eſſe cauſam inde evincitur, poteſtque altera §. 22 citata humorum craſſities & ſpiſſitudo hincque enata obſtructio ad ipſum uti que juvare dum irritat continentia & ad conſtrictionem exſtimulat.

§. XXVII.

Malum hypericum. Eaudem fere cum malo hypochondriaco Tragœdiam, *hyſterica* ludit *paſſio.* Quod etenim ab utero ſpaſtica criſpaturæ incipientes univerſi nervorum generis complexionem rapiant in conſortium triſtis quotidie loquitur experientia. Nil enim eſt ſolemnius, niſi ut, ſtrictis corporis exterioribus, retrogrado humores motu ad cor & interiora agantur, cordis diſtendant thalamos, *anxietates phlogiſticas, palpitationes Cephalæas, clavum hyſtericum, conſtrictionem abdominis flatulento-ſpasmodicam, alvum ſegniorem, urinam aquoſam, calculoſos affectus* nonnunquam, & quæ de ſpasmis modo cogitari

tari poſſunt, *conſtrictionem gulæ inferioris* (die Mutter tritt ihnen in Halß) in medium proferant. Eousque ſævit dira quandoque Tyrannis, ut ſenſuum tollat ad tempus exercitium & uſum, cum rigore membrorum, ubi Epilepſia vel Catache hyſterica naſcuntur.

§. XXVIII.

Prodeat in examen *Arthritis*, quæ cum doloribus pene abſolvatur, ſpasmis itidem eſt accenſenda. Nimirum quod de Chronicis notatum fuit in ſuperioribus generatim fibras videlicet remiſſiores pro fundamento ſupponere, id & pariter de *arthritica* dictum *labe* velim; cujus ſic concipere licet geneſin. Compertum nimirum eſt peculiarem divinitus conſtitutam lymphæ portionem, ad lubricanda Articulorum oſſa ibi *in glandulis mucoſis* ſecreta SYNOVIAM eſſe, quæ *ſpiſſior facta*, ſive abacto, per ſtrictos nimium tubulos fluido diluente, ſive terrore, ſive nimio ſpirituoſorum, & inſpiſſantium & diſſipantium ex corpore liquida, uſu, *ſtagnat circa partes has membranoſo-nervoſas, quarum ex-* *Arthritid's examen.*

C pan-

panſionibus impacta vellicat easdem, irritat, ſicque criſpaturam cum ingrata ſenſatione h. e ſpasmum cum dolore infert, in dictis membranis, quin ipſo *Perioſteo*. Fit tamen nonnunquam tam univerſalis ut ex reſoluta, nimio ſolidorum in humida niſu, maſſa ſanguinea calor p. n. exaltetur, & febricula accendatur, accedente ſub invaſione horrore, aliisque a ſpasmo pullulantibus ſignis.

§. XXIX.

Mali Iſchiadici contemplatio.

Annectere huic lubet *malum Iſchiadicum*, non niſi ſede diverſum, & *Iſchiadis regionem* occupans, alias tamen iis ferme ſymptomatibus cum *Cruris, teſticulique ſæpe retractione* infeſtans, & æque ac *Calculus, doloribus & criſpaturis ſpaſticis diris infeſtum.* Quæ ideo cuncta *Chronicis inſero, quia tametſi ad tempus remittant, tamen ſtatis anni temporibus recidivant & non plenarie intermittant, ſicque per vitam excrucient ægros.*

§. XXX.

Dubium dſcutitur de ſpaſmo &

Antequam vero prorſus Chronicorum claudam cohortem, videtur *diſcutiendum*, quod oboriri forte cuiquam poſſet,

poſſet, *dubium*, quare ſcilicet, cum generatim a fibra laxa & humore ſpiſſo, Chronicas deſcendere ægritudines dixerim, in omni ipſarum excuſſione plane non, vel tamen obiter quaſi de ipſa hac laxitate locutus ſim? de cætero ſpaſmum tantum non ubique accuſans. Sive quomodo *ſpaſmum & Atoniam ſimul adeſſe* poſſe conciliari poſſit? Quibus, ut reſpondeam ſic procedere lubet præmonendo, *Atonia ſimul concipienda in uno corpore.*

1) Fibræ cujusvis a *ſpiritibus* robur dependere.
2) Fibras omnes ſic eſſe connexas ſecum invicem, ut una criſpata patiatur itidem altera.
3) Fibram omnem tenſam & per objectum quodpiam impulſam, & de loco motam reſiſtere, & priorem locum adfectare h. e. eſſe elaſticam.

Ergo ſi hæret aliquod has inter fibras irritans, vellicans, ipſasque dimovens objectum; hæ reſiſtunt, & in illud ingunt, hocque tam diu quamdiu ſpiritibus animalibus agitantur (no. 1 & 3) His vero minus in illa parte præſentibus, robur & activitatem vi contrariorum

amittunt, minus inde reſiſtunt, & ſic obſtrui meatus ſuos per inhærens vi inſufficiente ſua non excutiendum, patiuntur. Quia vero connexæ cum aliis hæ fibræ ſunt, impulſum ſuum cum illis communicant, quæ irritatæ ſeſe conſtringunt & ſic *paſſionem alioquin particularem*, *vere reddunt univerſalem*, donec ſenſim ſenſimque ipſæ elangueſcant viribus, priores vero ipſos recolligant de novo, ſicque ad novum diſponantur Paroxyſmum. Hæcque *genuina & legitima* concipiendi mali univerſalitatem, *ſpasmumque cum Atonia ſimul & ſemel* combinandi, exiſtit Idea.

§. XXXI.

Tranſitus ad indicationum expletiones ſpeciatim.

Detecta ſic Chronicorum origine, perveſtigatisque ex ipſorum familia multis, dum *curare morbum* nihil ſit aliud, ſecundum ipſam PARENTIS NOSTRI mentem, quam *ipſius cauſam tollere*; videndum erit anne Aqua, & quomodo conveniat, anque egregii verſus hæc incommoda præſidii titulum tueatur? Interim *frigus* præmoneo in genere *conſtringere plus* vel *minus* pro

gra-

gradu frigoris, *calorem* vero exaltare *ſulphur noſtri corporis*, *expandere aërem inhærentem* & *ebullitionem cauſari.* In Chronicis eo tendit Medici officium, ut

1) *Incidat & attenuet viſcidum illud groſſiusque corpus, quod* ob molem ſuam majorem, Diametrum vaſorum vero minorem, tranſire per canales minus poterat & ea propter *ipſos obſtruit*, ſicque ad circuitum adaptet ipſum; non idoneum autem, ſine noxa & turba ejiciat.

2) *Fibras*, quæ *toni* erant *remiſſioris* in *prius robur & firmitatem adducat.*

3) *Symptomatibus*, e quorum cenſu primaria ſunt ſpaſticæ corporis ſtricturæ, *obicem ponat.*

§. XXXII.

Dictum eſt §. 20. Aquam alia corpora ſolvere & fluida reddere, cum ergo in Chronicis & *ſolvenda* ſit humorum *ſpiſſitudo & legitimus* ipſis *fluor reſtituendus* ut ſic *ſymptomata præſcindantur* (§. 31. no. 1 & 3) patet inde ſua ſponte *convenientiſſimum* his pariter malis *Aquæ po-* *Aqua convenit & Chronicis.*

 tum

tum exiſtere, inprimis ſi ſit Aqua ſubtilior h. e. copioſis & amplis dotata poris, ut eo majorem corporis ſolvendi copiam in ſe recipere poſſit.

§. XXXIII.

Nec frigida nocet.

Hucusque de Aqua tantum per ſe diximus, jam vero dum has duas ſubire potiſſimum mutationes caloris & frigoris videlicet poſſit, quo ſub ſtatu potiſſimum conveniat, diſpiciendum venit. Calidum & frigidum uti duo ſunt oppoſita; ita, dum caloris effectus eſt emollire, fibrasque relaxare, frigoris, (vi contrariorum) erit rigefacere, fibras diductas contrahere, & adducere. Ergo *frigida* in Chronicis optime *reſpondet* potus materiæ. Siquidem *laxitatem & Atoniam* tollendo novo *corpus tono impertitur.*

§. XXXIV.

Quod probatur

1) Remotive.

In acutis reſolutæ ſulphureæ Maſſæ ſanguineæ particulæ per motuum vehementiam ſunt, expanſus eſt contentus inibi aëer, effervet ſanguis, majusque affectat ſpatium, ac eſt capacitas vaſorum, in quibus circulatio ipſius debebat abſolvi,

ſolvi, *calida ergo ingeſta*, eo, quod majorem humoribus inferunt ebullitionem & diſſolutionem, majores procreant anxietates, inquietudines (*vide* RVDOLPH. CRAVSII *diſſert. de potu frigido pag.* 4. *linea* 6.) cum his vero omnibus nimium intenſis comprimantur multum vaſa ſe- & excretoria, hincque tam ſudoris quam & aliarum partium excreta mirum impediantur, excretionibus vero ſive ſanguineis, ſive aliis ſolvantur hujus commatis morbi: tantum abeſſe patet, ut *calor ad extinguendam morbi vehementiam* faciat, ut ipſum maxime potius adaugeat. Cum *frigida* contra ingeſta ignem corporis eximie *deſtruat*, Sulphureas partes non ſolum in poros ſuos recipiendo; ſed & exutæ ſero ſuo ſanguinis maſſæ vehiculum reſtituendo una & amiſſam fluiditatem, unde ſtaſes hic & illic enatæ expediri fluido accedente, ex per deſtinata loca, inutilia evehi ex corporum cribris poſſunt. *2) Poſitive.*

§. XXXV.

Audio hanc mihi ita ſcribendi & frigidam Aquam commendandi licentiam exi- *Objectiones contra frigidam.*

eximie exprobari ab iis, qui nihil præter infixas memoriæ ſuæ formularum myriades, in ægri ſalutem tentantes, abſonam dicent eamque forte inimiciſſimam humano generi curandi viam memet iniiſſe. Quemadmodum ante ſeculi enim dimidium moris erat uſuque, uti opinabatur tum medica cohors, laudabili receptum, ſummo conflictantes æſtu ægrotos calidiſſimis urere ab extra ſtragulis, ab intra vero ejusdem notæ tincturis bezoardicis, eſſentiis alexipharm. ſpirituoſo extractis menſtruo, vinatis, aliisque exæſtuantibus ſanguinem medicinis macerare; in quorum itidem loco decocta & infuſa herbarum calidiora habentur, quibus certe aſſabatur patiens; ita & hodie non penitus obſolevit mos hic; verum multi ex ſanitatis dantur antiſtitibus, qui medicum naturæ miniſtrum exiſtere pleno clamitantes ore ipſam idcirco ſequi teneri affirmant, ſicque cum ſudore ut plurimum largius erumpente ſolvi has febres confirment, ipſum procreare teneri perhibent. An vero eo ipſo naturam ſecundent an potius vires ipſius æſtu nimio exurant, neque excretiones

legi-

-gitimas ebullitione nimia magis im-
ediant? loquantur ipſi. (§. 34.)

§. XXXVI.

Rationes ipſam vindicantes.

Quamvis etenim frigus corpori no-
ere dicatur, uti ipſe HIPPOCRATES
. *V. Aphoriſm. 17. frigidum inimicum
ſſibus inquit, dentibus, nervis, ſpinali
edullæ &c.* dabitur tamen & hic via
nedia, qua incedentes tutiſſimi ibimus.
)mne quod excedit eo ipſo fit noxi-
um, uti optima medicamenta in exces-
u ſumpta, æque ac optimi cibi nau-
ſeam & noxam excitant. Sic parili ra-
ione frigus excedens, improvide ſi
corpori admittitur, nocere non poteſt
non, ſi minori vero gradu præſens ſit,
optime certe juvabit. Videmus ſic Sue-
cos alioſque borealibus in terris enatos,
llegentesque populos, non in frigidiori
tantum aëre vivere poſſe, verum &
multo robuſtiores vel ad vincendos
morbos vel immunes plane ab ipſis in-
vadentibus exiſtere. Immo majores
noſtri melius nobis rigidam tempeſta-
tem ferebant, nec quemvis ſtatim Ven-
ti flatum exhorreſcebant, nec mutua-
to a vini & ſpiritu frumenti calore ac-

cendere corporis ignes opus habebant: immo natam recentiſſime ſobolem A-quæ frigidæ immergebant, & ſic non tam delicato vivendi genere debilita-bant, omnique pene robore a primo vitæ jam principio exuebant ſuam ju-ventutem. Placet, cum contrarium paulo ante adduxerim, COVM noſtrum, ut ipſum jam pro mea ſtantem ſenten-tia, & ſic loquentem proferam *in Apho-riſm. Calidum frequentiore uſu carnis in-vebit effœminationem, Nervorum Incon-tinentiam, animi torporem, profuſionem ſanguinis, animi deliquia; ad quæ qui-dem mors.* Deinde quoniam *calor* ni-mium in humoribus excitat *orgaſmum*, *partes ſeroſæ* per ſudorem e corpore *evaporant* a quibus præſentibus tamen & menſtrui *ventriculi ſufficiens quanti-tas debebat* ſecerni, quo ſecus ſucce-dente negotio *labefactatur appetitus*, uti æſtivo tempore obſervatu facillimum, eo quod per ſitim inextinguibilem a ſalſis ſalinæ indolis particulis titillanti-bus orificium ſtomachi ſiniſtrum pro-ficiſcentem, magnamque liquidorum copiam cupide ingeri efficientem, *ſal illud acidulum*, quod appetitum procrea-

re

e debebat, *nimium reſolvatur*, & ab-
ſtione in tunicas ſtomachi ulteriori
oripiatur: *hyeme* e contrario *gliſcente*
iget appetitus, bene digeritur, quod
rat ingeſtum, ſomnus eſt lætior, nox
uietior: quæ omnia *frigus* non ita ut
ulgi fert opinio *corpori contrariari* te-
antur. Quod ergo frigori competit
n genere, competit ſuo modo pariter
: Aquæ frigidæ.

§. XXXVII.

Et hæc generatim de Aquæ dicta præ- *Teſtimonia de Aqua frigida in acutis.*
antia ſufficiant; jam caloris & frigoris
um ipſa combinati effectus tam in acu-
is quam Chronicis rimabimur. In
cutis primo tum, cum *oculorum af-*
ulget rubedo, vultus rubore ſuffunditur,
ingua calet, arteriæ temporales celerrime
nicant, pulſumque experitur Medicus ce-
rem contractum, interiora calent, caput
ncipit turbari, & quaſi rota agitari po-
e aures, Aquæ frigidioris uſus internus
x dictis convenit. Ac imprimis id
robare poteſt AMAT. LVSITANVS
qui *curat. medic. T. I. Cent. I. curat. II.*
. m. 40. de fœmina ex cauſa calida coli-
a facta & potu frigido uſa ſic habet:

DEVS

DEVS bone! vix exhauſto poculo dolor ſubito levatus fuit, ut opus incantamento ſimile aſſiſtentes clamaverint, & quod magis mirandum fuit, dolor non amplius rediit. Addit in ſcholio: *Quum hæc tractamus, in mentem venerat Medicus ille Italus, qui fere omnes Colicas affectiones frigidis curabat remediis, ut de eo teſtatur Paulus Æginetą L. II. ſuæ Medicinæ Cap. 43.* qui ſic plurimos præter omnium opinionem perſanavit. CELSVS *Caſſium* in præfatione adducit, *qui febricitanti magna ſiti affecto frigidam aquam ingerens protinus febrem ſomno & ſudore diſcuſſit.* Idem ſentit ALPINVS de *Medic. method. L. II. in continentibus, dicens, febribus vehementer æſtuoſis Medici omnes largum potum algidæ Aquæ exhibere ſueſcunt, quia calorem nativum concentrat, ut ſtatim inde ſitis ac calor ceſſet. Roboratur inde totum corpus, & Aqua epota digeritur morbus, & plerumque largisſimos ſudores frigidæ Aquæ potus ſuſcitat, nonnunquam vomitus biliosſi fiunt & aliquando per alvum copioſi effluunt, & urinam copioſe excitat. Mirabile eſt quomodo tale præſidium has febres curet frigida. Sic anne-*

ectit alicubi rationem HOFFMANNVS. *t mirum, inquiens, utique videtur cur igida Aqua, vel alius frigidus potus ſudorem moveat valide? ſed ubi æſtu interno uruntur in corpore cuncta, & inteſtinus partium ſulphurearum motus eſt intenſiſſimus, frigidus intus ſuſceptus potus eundem non modo attemperat, ſed & calore interius tepefactus fibras & canales ſubcutaneas laxat, ut ſudor erumpat largiſſimus.* Externe vero aſſumpta ex hypotheſi: calorem emollire, non poterit non & hic convenire calida. Fiant videlicet pediluvia ex Aqua ſ. tepefacta, & ad ſuras usque immittantur pedes, ut ſic emollita exteriorum fibrarum compagine, revocetur intenſus a capite ſanguinis impulſus, ſicque a turbatione phantaſtica ſpiritus animalis officina & fabrica conſervetur. Ipſeque in praxi mea hoc potiſſimum anno, quantum in me ab hoc inſtituto redundaverit emolumentum, effari ſatis non poſſum. Inſtitutis his enim pediluviis circa imminens delirium, ægrique ex lecto emiſſis in ipſam pedibus, adplicato deinde epiſpaſtico, vel ex cantharidum familia deſumpto, vel ſinapi habente,

ex

ex aceto vini fortiſſimo decocto & ac-
ſuram utramque in priori caſu admoto
vel poſteriori in caſu ad poplitis regio-
nem & plantam pedis, adplicato, præ-
ſciſſa ut plurimum penitus, vel tamen
multum mitigata ſunt deliria, niſi omnem
remediorum virtutem vis eluſerit mor-
bifica, morsque fuerit ante fores.

§. XXXVIII.

Et Chronicis. Quod probatur e.g. a quartana interne & externe.

Chronicos ſpecialiori perveſtigatione perſecuturi primum locum Quartanæ dabimus, quæ certe, ſi ulla alia febris rite percuranda, potus expoſcit mutationem teſte HOFFMANNO *in Med. R. S. T. IV. de Quartana, Sect. I. Cap. II. §. 5. p. 66.* Hic l. c. equidem decocta ex Radicibus Sarſæp. Cichor. herb. C. B. Paſſulisque minoribus & ſem. fœnic. commendat: at itidem ex Aqua decoquere ſuadet; immo ipſas aquas minerales, acidulas Selteranas cum dimidia vini parte potare præcipit. Nec internus tantum tam eximius Aquæ in hac febre uſus, ſicut omnibus Chronicis affectibus exiſtit: verum & externe ſe inſigniter commendat; quippe eodem *Authore aſſerente §. 3. p. 66. Non-*

nulli

*lli Balneorum Aquæ dulcis uſu quoti-
ano, inſtituta ſimul ante acceſſionem
rporis ad ſudorem usque exercitatione
rati ſunt.* Nimirum cum emiſſus e
uartanariorum venis ſanguis conſpi-
um exhibeat vitium, ac lenta flave-
ente pituita in ſuperficie obductus
mpareat: uti etiam *Schenckio* obſer-
tum eſt, patet noſtram eo ipſo de
hronicis hypotheſin, a viſcido ipſas fi-
aque debili exire, confirmatam dari,
od & BOERHAVIVS adſtruit *in
phoriſm. Theoret. Pract.* Cum ergo
cillime ſic conſtitutus ſanguis minuta
dominalium viſcerum, Hepatis,
ncreatis, Lienis & Meſenterii vaſcu-
tranſcolari neget, indeque obſtruat
lla: (quæ res maximam ſæpe febri-
us iſtiusmodi anſam præbet) oppido
nc apparet, quantum ſperandum ſit
molumentum ex Aqua ſive decocta
terneque hauſta, ſive externe in Bal-
eis uſurpata. Calor enim hic exter-
us uti ſpaſticas criſpaturas ſub & ante
roxyſmos febriles hoſce accedentes
æſcindit, ita humidum decens cor-
ori reſtituendo, ſimul amiſſam humo-
bus noſtris fluxilitatem reconciliat, &
ex-

exuta ob viſciditatem vigore ſuo pri
mæ culinæ menſtrua iterum decente
acuit, & ad officium redigit. Paril
ratione cum talismodi materia & reli
quis in febribus, gradu tantum vel vi
ſcedinis vel acrimoniæ inviſcatæ ex
cepto peccet; colligere licebit nec no
iis reſpondere Aquæ uſum. In ſpeci
tertiana bilioſa ſive exquiſita Hippocra
tis, quæ ineffabili æſtu ſtipata omn
corporis humidum exurit, eo magi
etiam frigidæ efflagitabit uſurpationem
quo majori luce corruſcat quantum &
conferat in acutis, cum quibus lice
minime gentium Chronicos confunde
re velimus; tamen & hanc in eo quo
frigidæ potum concernit ipſis compa
rabimus, forte ſine nullis injuriis. Si
ipſe *quoque* HIPPOCRATES *in febr
bilioſa*, quæ hominem *quotidie corripit
& os amarum jungitur, & vomitio jun
cta, & ad lumbos cruraque gravitas
ea die, qua febris detinet, quantum qui
bibere volet aquam frigidam epote*
CRAVSIVS *in diſputat. de potu frigid*
demonſtrat aquam & frigidiſſimam no
in ſummo eſſe frigoris gradu, ſed tan
tum moderate frigidam, quod ex æthe

ri

ris præſentia & motu per partes Aquæ poroſas probare nititur. Placet ex VILLA CORTA locum adducere ſub oedematis *curatione pag. 287. ex Galeno,* *qui pro cura oedematis aliquando ſufficere dicit ſpongiam ex Aqua, cum aceto humectatam.* At ſi ex pituitoſo inquit humore in particulam influente oedema conſiſtit abunde aliquando ſatisfacit *ſpongia, quæ ex Aqua, in qua ſit aceti aliquid, maduerit,* porro hæc ita temperabuntur, ut bibi poſſint, vel ut non multum ſupra hoc aceti habeant.

Et oedemate externe.

§. XXXIX.

Pediluvia æque ac ſemicupia relative pertinent ad Balnea, aguntque fibras emolliendo, humidoque exſpiraturo exitum liberiorem concedendo. Cum itaque Balnea in Chronicis conferre & ratione & experientia conſtet, (ſiquidem quod generatim de quartana dictum eſt in omnes cadit Chronicos) quia tranſpirationem reſtituunt, quam ad morbos æque ac ſanitatem longe ſaluberrimam *Hoffmannus Med. R. S. T. III. Capite de tranſpiratione* pronunciat: patet ipſa in aliis morbis a fibra

Aquæ uſus in pediluviis Baln. & ſemicupiis.

affecta primario parte laxa, in conſentientibus ſtricta ſumme eſſe conducibilia. Dici hinc verbisque exprimi vix poteſt eximia quam ferunt utilitas in *malo hypochondriaco*, & foeminarum *hyſterico*, *Calculo*, *Iſchuria*, *Dyſuria*, *Iſchiade*, *oppreſſione Pectoris & Capitis*, a ſanguinis & humorum reliquorum directo illuc impetu proficiſcentibus. Cum primum enim ipſis immiſſi pedes fuerint, ſtrictæ per ſpaſmum arteriæ & venæ emolliuntur, ſanguinisque per exteriora iter extemplo ſæpe adjuvatur, cum felici madoris cujuspiam per univerſum eruptione & ſubſequente dolorum, ſi non plenaria diſcuſſione, exoptato tamen lenimento. Conſentiunt enim pedum nervi (docente ſic itidem præter alios copioſiſſime VIEVSSEN. RVYSCH. HOFFMANNO *l. c. Cap. de conſenſu nervorum*) cum univerſi ferme reliqui ſyſtematis proſapia, ſicque, uti ex aliorum compatiuntur tenſione, ſic ex horum lætantur conſolatione reliqui; hincque non mirum ex horum relaxatione ſpaſmum tolli poſſe ferme univerſalem.

§. XL.

Placet ut laudatum in medium ad- *HOFF-*
ucam authorem, qui *pag. 58. c. X.* *MANNI*
eeris ſui medic. de uſu Balneorum & *de Pedilu-*
ediluviorum ſic haber: *Neque minus Ve- viis, Bal-*
res teſte CELSO *& Ægyptii teſte* ALPI- *neis &c.*
O *l. c. p. 114. in omnibus febribus tam Teſtimo-*
ntinuis quam intermittentibus exceptis nia.
ſtilentibus familiariter & utiliter ad-
buerunt Balnea non tamen in principio
ſtatu, ſed declinante impetu.

§. XLI.

Unum addere pro Aqua licebit argu- *Pota tol-*
entum: Fœcundiſſimam in ſcholis di- *lit Ple-*
morborum genitricem Plethoram *thoram*
tto eſt notius. Fitque nec hoc ſine *Aqua.*
iione ſufficienti. Eſt enim *Plethora*
nia ſanguinis & reliquorum *humorum*
corpore *præſentia*, quæ inde vaſa *di-*
ndit & in *Syſtaltica* ſua *conſtrictione*
ultum *impedit*; Plethoræ vero geni-
ces cauſæ ſunt, vita ſedentaria, fibra-
m laxitas & Ingeſtorum bonorum &
dabilium copia. Quia vero Aqua
retiones adauget, & ad minimum
næ largiorem provocat effluxum,
mores conſumit, & dum partes hi

ſunt ſanguinis, quas debilitat, conſumit quoque Totum h. e. ſanguinis abundantiam, h. e. a Plethora liberat corpus.

§. XLII.

Contra quos ex reliquis morbis pugnet Aqua judicent ex dictis medici.

Nemo credet, ubi hic vela tractationis meæ contraho, hoc ex defectu auræ ſecundæ (Argumentorum puto Aquæ excellentiam evincentium defectu & inopia) fieri, quod certe rationem eſſe, tantum abeſt, ut potius non leve hic volumen panderem, ſi quemvis ſalubrem Aquæ effectum rimarer, & quemvis identidem morbum cum ipſa conferrem. Suffecerit ex iis quæ adduximus inſtar omnium eſſe philoſophatos nos. Suffecerit claris noſmet eviciſſe rationibus æque ac teſtimoniis, in acutis perinde ac Chronicis inſignem Aquæ exiſtere prærogativam. Jam unusquisque omnino, qui modo non præconceptis tenebitur opinionibus, vel obtuſo utitur Ingenio, ſed ſubactiori trutinare judicio res medicas didicit, vel manu palpaturus eſt, in quibus & ex reliquo morborum agmine conducat? in quibus ſecus? Ego certe huic labori ſu-

ſuperſedere me poſſe arbitror, pau-
ciſque adhuc prolatis, quæ ad rem face-
re videor, Coronidem imponam
appellæ.

§. XLIII.

Iam cum diverſiſſimæ dentur indolis Aquæ, atque haud omnes uſui Medico promiſcue ſeſe commendent; quænam ex omnibus ſint convenientiſſimæ dictu duco neceſſarium. Superioribus iam obiter tactum eſt (tunc enim plura dicere e re minus eſſe arbitrabar) quo ſimpliciorem obtinueris Aquam, eo convenientiorem ipſam corpori ægrotanti exiſtere. Cumque ibi adductæ rationes ſint, quare hoc fiat, hic illis immorari amplius abnuo ego, quippe cui dicere ſatis eſt illam leviſſimam h. e. ſumme poroſam & fluido aëreo æthereo præ alia inflatam eſſe illam, in qua Tubulus ille vitreus Aqua leviori repletus, illique immiſſus deſcendit; ſicuti id ſpecifice levius eſſe fluidum, in quo ſpecifice gravius deſcendit palam eſt. Eſt vero leviſſima HIPPOCRATE IVDICE Aqua, *Aphoriſm. L. V. Aphor. XXV. quæ cito caleſit & cito refrigeratur.*

Non omnes Aquæ ſunt ejus generis, nec ideo uſui medico conveniunt.

Sunt præprimis hujus commatis Aquæ pluviales. Quæ enim eo altitudinis penetrant Aquæ, gravioribus terreſtribus ſalinis &c. exutæ ſint, levioribus vero aëreo-æthereis h. e. ſubtiliſſimis particulis gaudeant neceſſe eſt. Dum namque per ſolis calorem terræ adaperiuntur Pori, contentæ intus Aquæ in altum efferveſcunt & reſiſtentia exterioris aëris Athmoſphæræ noſtræ circumfuſi per hunc eundem calorem multum ſublata, aſcendunt, & relictis craſſioribus in altum coacervantur, donec ſuo iterum tempore hinc delabantur.

§. XLIV.

Martiales optimæ. Nec & pluviales hæ ſunt unius ejusdemque generis. Quasdam enim ipſarum non multo admodum temporis interlapſo ſpatio motum inire corruptivo-putreſcentem; quasdam vero diu ſatis terreis probe munitis vaſis diu cuſtodiri obſervamus quotidie. Quæ putredo uti extra dubium a diverſa adverſarum partium commixtione accidere ſolet: ita illa, quæ Martio menſe decidit, optimam habendam Medicorum peri-

peritiſſimi adſtruunt, ſine dubio, quia clauſa tum adhuc manente terra parum vel nihil vaporum ſolis ardore aduſtorum aërem pervolitat, ſicque Aquæ pluviali ſeſe commiſcere valet: cum vice verſa æſtiva regnante tempeſtate putres variæ ex Aquis ſtagnantibus &c. exhalationes ſimul complicentur, (ſicuti calorem genuinum putredinis Parentem ſalutabimus) quas cum non omnes in fundo terræ reliquerint & adſcendentes Aquæ pluviales inteſtino dein talium heterogenearum particularum motu deſtruuntur & corrumpuntur.

§. XLV.

Aquas purificare docet deſtillatio.

Aqua vero pluvialis hæc, cum ſemper & ubique ad manus eſſe non poſſit, ipſam ut purificarent communis coëgit mortales neceſſitas. Atque veluti ſemper naturæ ars eſt æmula; ita hanc naturæ pariter aquarum deſtillationem ars imitatur deſtillatione per cucurbitam, vel ipſius ad ignem culinarem coctione. Hac enim ultima etiam aliquo modo purificari Aquas poſſe confirmat repe-riunda ad fundum vaſis arenoſa ſabur-

ra, quamvis, cum hæc iterum quaſſatis pauliſper Aquis de novo admiſceri poſſit, deſtillatio, ubi ſubtilior portio, recipienti vaſculo clauditur, & a nova ſordium remanentium admiſtione prohibetur multoties prærogativam tueatur.

§. XLVI.

Aqua fontana purficanda maxime, & inquirenda.

Videtur hanc purificationem eo magis exigere fontana, ſicubi illa, uti, vel ex ſolo ſapore colligere eſt, admixta variis heterogeneis partibus exiſtit, iisque talibus, qualibus referta hæc eſt, quam tranſilit ſcaturigo. Sic oleum tartari per deliquium (docet HOFFMANNVS) Aquæ tali admiſtum Calcariam ipſius ſubſtantiam detegit, ubi quaſi lacteſcentem reddit eandem, aliam vero producit faciem luna aqua forti ſoluta, quæ Aquæ indita martem ferenti quaſi Cineraceum efformat colorem, & ad fundum quicquam hujus materiæ deponit, ut adeo inter curioſa aquarum elementa & commixta inveſtigandi & eliciendi experimenta & hæc habeantur. An vero ſic plane fieri poſſit, ut ab affuſione ad Aquas dicto-

:torum plenaria Aquæ depuratio ſpe-
ıri poſſit, uti, e. c. affuſi ſpiritus vini
iiner-lavell. ipſum rectificare & de-
hlegmare quadantenus poſſunt, relin-
uo aliis, iisque ſubactiori præ me ju-
icio utentibus. Sufficit aquam levis-
ımam nos expoſcere, ſi effectum ſalu-
riorem reſpondere votis exoptemus.

§. XLVII.

Optima & ſelectiſſima quamvis ad- *Cautela.*
ibeas remedia, non ſemper tamen &
bique ac in eodem morbo eundem
ernes edere effectum; quare cautelis
pus eſt, quas qui obſervarit, grata
Hygæa ſubminiſtrare poterit ſua medi-
amenta. Idem utique de Aqua cenſen-
um eſt; quæ, quamvis tantis mactan-
la laudibus videatur HOFFMANNO,
ıt univerſalis fere morborum medicina
ālutari poſſit, tamen certas, ubi danda
it, cautiones expoſcit. Nimirum cer-
a ſtataque ſua habent tempora morbi,
ſtatas quibus exacerbantur & remittunt
Periodos, quas ideo obſervare Medi-
n decet, Naturæ non Magiſtrum
ed Miniſtrum. Primæ inde ſtatim
cautelæ loco diſpiciendum eſt e. g. in

febribus ad horrorem, eoque perdurante vel tepefacta frigidæ erit anteferenda; vel tamen ipſa caute & ſenſim multiplicato, parco tamen hauſtu erit capienda; ſicuti & tum ubi leniori ſudore & madore ſoluto Paroxyſmo febrili cutis humectatur. In genere Aqua nimium frigore ſuo exceſſivo infeſta exiſtit fibrarum Nervorumque ſenſibilitati, & tum in ſpecie ubi viſcera non amplius perfecta, ſed jam obſtructionis & inflammationis labe notata ſunt, quo caſu aquam frigidiſſimam porrigere idem eſſet ac vita ſpoliare ægrotantem. Deinde Chronicis, quibus jam tum fibrarum eſt laxitas, moderato uſu non eſt infeſta Aqua frigida ſ. eo quod adducit iterum quæ diductæ fuerant fibræ. Sin delicatiores vero ferre ſalutarem hunc potum minus poſſint, poterit Aqua vino nubi & prandii tempore mixtura nervino-ſtomachica aſſumi parcoque ſed ſæpe reiterato uſu potus frigidus ingurgitari; nec niſi felicibus cum ægrorum rebus. Cum præterea quoque alvus quibusdam per Aquam potam reddi feratur difficilior, diligenter ipſius habebitur ratio; ne illa

offi-

officii oblita, novarum efficiat ſor-dium officinam ventriculum cum inteſtinis, ſicque novam ſemper hoſti vexanti auxiliarium copiarum catervam conducat.

§. XLVIII.

Non ad eorum caſtra tranſeundum qui Aqua frigida febricitantes æſtuque laborante ſummo abluunt.

Magnas laudes Aquæ in perſanandis morbis licet tribuendas accenſeam, nemini tamen ex illis jam quidem patrocinabor, qui heroice nimis frigidiſſima externe adhibita Aqua corpora ægrotantia ſummo calore aduſta percellunt. Licebit pace eorum, qui ſic procedunt, dicere, ita me de hoc proceſſu ſentire: Nimirum nemini non ex Æſculapia progenie notum eſt, quanti ſit fructus, quod ex tranſpiratione legitime ſuccedente capitur, emolumentum: ita ut maxima & inexpugnabilis ſæpe efficaciæ mala hac præcluſa prodierint. Sic tum ubi aëre inclementiore, autumnali & vernali tempeſtate præſertim regnante per frigus cutis exaſperatur, porique ipſius conſtringuntur, & intro humida reaguntur, Quartanæ contumaciſſimæ nonniſi coelo clementiore diſcutiendæ, ipſo HIPPOCRATE *teſte*

in

in ſect. III. Aphoriſm. Aphor. XXII. & ſect. II. Aphor. XXV. Rheumatiſmi, Arthritis, cum familia ſua, & Iſchiadicæ calculoſæque paſſiones oboriuntur, imo Paroxyſmi hypochondriaci & hyſterici infeſtius affligunt, manifeſto (me quidem judice) indicio, ab obſtipatione Cutis poroſæ hæc cuncta accendi. Pari ratione exempla in Foro Medico quotidie innoteſcunt, & jam jam innotuerunt foeminarum, qui terrore ex improviſo perculſæ menſtruorum expertæ ſunt ſuppreſſionem, abortumque nonnunquam ipſum, cuncta ex adverſo & a naturali penitus averſo humorum Circulo. Demonſtravimus enim in ſuperioribus frigus ac terrorem in hoc convenire, quod utrumque circulationem invertat. Unde nemo mirabitur, quod hic exempla adducam fœminarum, quæ ex terrore inciderint in dicta pathemata.

§. XLIX.

Rationes. Iam itaque cum cutis ſemper mollis & aperta exiſtere naturali in ſtatu debeat; ut ſic ſecerni per ipſam queant noxia: Aqua vero frigida ipſam ſtrin-

gat

at ſicque ea producat quæ terror, frius in genere, aër frigidus &c. procreant (§. 48) hæc vero a Medicis ut eviꝛent ſummo ſtudio, adigantur ægrotantes; non dabitur ratio quare idem ſimul eſſe ac non eſſe poſſit, h. e. quare ad unum frigus evitandum, alterum vero admittendum exſtimulentur? Nunquam vero & Medicus quicquam agere debet præter rationem ſufficientem.

§. L.

Non quidem fugiunt me ipſorum pro ſententia ſua argumenta, ad quandam omnino, eamque non primo ſtatim intuitu divellendam veriſimilitudinem accedentia. Aqua enim frigida ſi ſuperiora conſpergant, calidæ immittunt inferiora, tum ubi capitis inſtare inflammationem ſignis ſuo loco adductis convincuntur. Emollita namque hoc modo inferiorum textura, nihil amplius obſtare dicunt, quod æquali ſanguinis per omnes partes circuitui obicem poneret, verum divertitur ejusdem ad cerebrum impulſus, & ad pedes invitatur, cum ſuperiora interim ſtri-

Argumenta pro ipſorum ſententia.

ſtricta teneantur & ſic tranſcolari per vaſculoſam cerebri compagem, quod inibi hærebat, eo felicius poſſit ſicque ſtagnatio, ac naſcens inde inflammatio expediri.

§. LI.

Expenduntur & quædam præſuppoſita ponuntur.

Verum eſt, acute ſatis hujus ſententiæ philoſophantur Patroni, & eo usque, mihi videor, acute, ut hanc vix penetret aciem naturæ obtuſior & confuſus in ſtatu p. n. motus. Concipere videlicet ſtagnationem humorum & enatam inde inflammationem non poſſumus, niſi

1) Majori ad partem affectam copia, appellat fluidum.
2) Fluidum vero copioſius adpellere non poteſt niſi ſublata debita partis, ad quam fit appulſus, reſiſtentia.
3) Qualitas fluidi debet eſſe mutata & magis cohærens h. e. craſſior & viſcidior.
4) Cavitas continentium minor.

§. LII.

Concluditur ex his.

Quamvis ergo affluxus ſanguinis ad inferiora, derivari dicto in aquam calidam

im inſeſſu, ex ſuperiorum in frigidam
nmerſione, conceptu videatur facile;
3. & 4. dicta tamen inde non altera-
intur ſufficienter, ſicque cauſa non
tegre ſublata, & plenaria morbi di-
uſſio fruſtra ſperabitur. Apparens
uidem argumentum poſſet præbere
num. 2. Aqua frigida ex propria no-
ra doctrina forſan repetendum: ſi-
uidem roborare diximus eandem;
uare nactis robur adoletum magis,
rillulis diſcuti obſtructionem vide-
r probabile. At enim vero, ſicuti
treriora hoc modo tantum ſtringi
. 50.) rationis ſuffragio conſtat: ita,
im hæ, liquidum intra Cava ſua con-
ntum fortius conſtricta propellunt, il-
dque eo lubentiſſime dirigitur ex na-
ra corporum, ubi minorem inve-
t reſiſtentiam, hæc autem in interio-
ous cerebri & Meningum vaſis neceſ-
rio eſſe teneatur (no. 1. §. 50. *& Hoffm.*
Tr. de Phrenit.) haud rationem video,
uare non illuc penetrent, conquaſſata
quida, debilitent eo magis quod jam
ate extiterat infirmum, ſicque majo-
m inflammationem, ni penitus mor-
teram inducant Cataſtraphen.

§. LIII.

§. LIII.

Teſtimonia mala. Haud ex propriæ praxeos ſupellectile adducere hanc in rem exempla valeo, quam diram ludat frigidior externe applicata tragoediam, quia nullibi ego ſummum adverſus morbonam triſtem imperium bellicum gerere permiſſus eandem ſuaſi ut adhiberetur, ſunt tamen & mihi nota illorum exempla, ubi alii ad ægrotos acciti mecum Medici iisque ſuperiores illud tenuerunt qui ipſam commendarunt, ubi ego quidem bona cum conſcientia aſſeverare triſtem & lethalem ut plurimum effectum poſſum ſæpe primo jam ab adplicatione die incipientem ubi delirium ferociſſimum ſubſecutum cum ſubſecuta & Aphonia, & paulo poſt vel Apoplexia vel convulſione lethali. An lætiorem alii hinc effectum conſecuti ſint ipſorum conſcientiæ relinquo.

§. LIV.

Dubium tollitur. Novum prævideo objiciendum ex dictis a me dubium, quod ſcilicet ſi[...] ſonat. Dixi connexos eſſe ſecum in[...] vicem Nervos fibrasque, ut una tenſ[...]

ten

endantur & reliquæ cum tenſa conſen-
ientes. Hoc & hic largiri teneor.
Vix tamen ſic colligere licebit: exterio-
res capitis fibræ per lotionem cum fri-
gida ſtringuntur ergo & interiorem va-
ſorum parietes, in quibus hæret ſtaſis
nflammatoria, per conſenſum eo usque
ſtringentur, ut penitus ea tolli poſſit:
Stringuntur & interiora concedo; In-
terim, dum ſunt debiliora, impetus ve-
ro humorum ad ipſa major (§. 51 no.
. & 2.) eſt, dum hac ſyſtole adaucta ſi-
mul conſumantur ſpiritus roboris cau-
ſa (§. 29. no. I.) per conſequens magis
adhuc debilitentur interna illa vaſcula,
ure argumentari profecto mihi videor,
hinc ſtaſin non tolli: verum multo ma-
gis adaugeri ex citatis cauſis.

§. LV.

Memini equidem illuſtrem Hallen- *Hoffmannus & Hippocrates vindicantur.*
ſium ÆSCVLAPIVM, edito *nuper in*
lucem M. R. S. Tomo de morbis ex
viſcerum Atonia, &c. in *Melancholiæ &*
Maniæ curatione pariter ejusmodi in
aquam ſed calidam inſeſſum, cum ſu-
periorum per frigidam conſperſione
commendare. Pariter *quoque* HIP-

 PO-

POCRATES *Sect. V. Aphoriſm. XXIV. articulorum tumores & dolores absque ulcere atque Podagricos &c. magna ex parte frigida Aqua large affuſa levat, & extenuat ſolvitque dolorem:* nam *modicus uſus doloris ſedandi vim habet.* Præterea vero, quod in Chronico morbo hoc fiat, (ubi ſumma fibrarum laxitas adductionem exoptat) cujus aliæ atque aliæ ſunt circumſtantiæ; neſcio quod in acutis (Hydrophobiam eximo) unquam tale quid commendarit, ſive quod ex ſua, ſive aliorum Praxi ſubminiſtraret. Nec iraſcentur mihi hujus ſententiæ Patroni, quippe cum bellum ipſis hoc qualicumque Schediaſmate indicere ne in animum quidem induxerim; verum (quod cordati eſſe Medici cenſeo) in genere tantum faſſus ſim, me modum, quo effectus ſperari queat lætior nondum concipere, reſervata interim potentia, tum ſtatim, quum in apricum poſitæ fuerint id faciendi rationes, in ipſorum caſtra cito transfugiturus ſim, nullis inebriari opinionum principiis, nulla authoritate me detineri paſſurus, ſolaque veritatis amore ad id faciendum adducendus.

§. LVI.

§. LVI.

Ratio cum concluſione.

Cœpi confiteor hancce apud mentem mecum reputare ſententiam, atque videre, quomodo hoc inauditum hactenus apud nos remedii genus ſalutariter cum ſalute ægroti combinari & conciliari queat! Reputavi hinc ſedulo ea, quæ de Aqua frigida Hoffmannus themate inaugurali de ipſius potæ ſalubritate perſecutus eſt; vidique in quantum, legendum ibi cum corde carpionis experimentum id evincere poſſit. Nimirum hoc videlicet e vivente hoc piſce exſciſſum cum primum Aquæ immittatur calefactæ, motum ſiſti patitur: extractum vero exhinc & frigidæ inditum ipſum denuo non tantum repetit, ſed diu adhuc continuat. Colligere ex his quidem ad dictam in ſuperioribus Aquæ operationem, mihi tamen illud quod §. 51. allegi dubium nondum diſcutere licuit, quare nec experimentum illud hanc vindicare hypotheſin perſuaſus ſum. Ut taceam aliud eſſe piſcem in Aqua frigida delectari & naſci ſolitum, aliud hominem ab hac alienum & ſtragulorum & hypo-

cauſtorum calore delectatum. Quare ceu rem & experientiæ & rationis calculo probandam temporis ſucceſſui committo: mihi vero aliud perſuaſo libertatem vindico, nihil ſine ratione ſufficienti & credendi & faciendi.

Hiſce præſentes claudo pagellas & defectus, qui ob nimiam calami feſtinationem irrepſere ut benigniſſime candidiſſimus interpretetur Lector, enixiſſime flagito. Non integrum texere opus, idque omni abſolutum numero in animum induxi; (idquod de me nec ipſe ſpero, nec aliis infirmitatem meam diſſimulando fucum vendere, ſed ipſe me emendare volo) Verum ſpecimen & Tyrocinium, quod, ſi Medicorum Oculi docta tantum & digna aſpectu ſuo non penitus dedignabuntur, benigne excipere ad alia non ſolum ſucceſſu temporis, eaque doctiora memet diligenter præparabo: verum & ipſorum, quæ mihi præeunt, exempla preſſo ſequar pede.

S. D. G.

Scia-

Sciagraphia Univerſæ hujus Opellæ.

Licet

anus crearetur homo; tamen
) Ob aëris &
) Ingeſtorum injurias
Status ejus a Naturali mutatur in p. n. contra quem
) Quæſivit automatico impulſu Auxiliantia corpora, &
) Sic Arti Medicæ prima fundamenta poſuit (§. I.) quæ ars
Crevit, dum
1) Bruta ſuggererent plura juvantia
2) & ipſi homines a ſignis ad operationem licet non ſemper legitime ratiocinarentur (§. II.) tandem
3) Nimias Iuvantium ſarcinas formulatim colligebant (§. III.) cum tamen
4) ſimplicium effectus longe magis pateat, §. IV. quæ
5) inde præferenda Aquæ exemplo, ſub qua & Ptiſanæ & decocta & infuſa continentur, de quibus præſens exponet opella (§. V.)
Quod ut rite ſuccedat
Corporis textura & fabrica nota eſſe debet (§. VI.) &
A. Generatim, quomodo ipſum ſanum, & quotuplici, & quali modo in morbos propendeat, expendendum, ubi
1) Longi ſive Chronici, &
2) Breves ſive acuti dantur (§. VII.)
B. Speciatim
1) *Acutorum natura* contemplanda (§. VIII.) & eorum primarii
(α) febres cum
(1) Signis ſuis (§. IX.)
(2) Eorum Rationibus (§. X. & XI.)

 (3) &

(3) & dein Concluſio ad cauſam genuinam facien-da (§. XII.)

(4) Exploſis falſæ Pathologiæ Patronis (§. XIII. & XIV.)

(5) Et combinata ultimato illorum, cum noſtra hypotheſi (§. XV.)

(β) Nec dolores reticendi, quorum,

(1) Natura inquiritur (§. 16.)

(2) Removetur in illorum curatione potus aliu[s] ſpirituoſus vel viſcidus, ex

(α) Ipſius ⎤
(β) Morbi ⎦ Natura (§. XVII.)

II. Aquæ natura, &

I) Conſtitutionis partes expenduntur, experimentis ad-ductis (§. XVIII.)

II) Cum acutarum paſſionum Indicationibus confertur (§. XIX.) &

III) An reſpondeat iis explendis affirmative decernitur

A) *In genere*, ſine ulla qualitatis ipſius h. e. ſit vel fri-gida vel calida, diſcuſſione.

(1) Ex ratione (§. XX.)

(2) Experientia (§. XXI.)

β) *Dein ad Chronicos pes movetur* (§. XXII.) & ipſorum

(1) Generatim

(α) Natura (§. XXII.)

(β) Cura proponitur (§. XXIII.)

(2) Speciatim expenduntur

(1) Febres Intermittentes (§. XXIV. & XXV.)

(2) Malum Hypochondr. (§. XXVI.)

(3) Hyſtericum (§. XXVII.)

(4) Arthriticum (§. XXVIII.)

(5) Iſchiad. (§. XXIX.) &

(6) Dubium circa Chronicorum cauſas oriundum exploditur (§. XXX.)

(7) Indicationes & cura inveſtigantur (§. XXXI.) ubi

(8) Laudatur Aqua (§. XXXII.)

B) In ſpecie frigida (§. XXXIII.) &

I) In Acutis (§. XXXIV.) quamvis
(α) Quædam objiciantur (§. XXXV.) quæ
(β) Diſploduntur ex
(1) Ratione. (§. XXXVI) &
(2) Teſtimoniis (§. XXXVII.)
II) In Chronicis (§. XXXVIII.) in Pediluviis Balneis, ſemicup. Clyſmat &c. (§. XXXIX.)
(1) Teſte Hoffmanno (§. XL.)
(2) Et Ratione.
III) Tollit Cauſam morborum multorum, ſcilicet Plethoram (§. XLI.)
IV) Prodeſt pariter in reliquis (§. XLII.) ſed,
V) Examinanda, quæ ſit optima, ubi laudatur
(1) Pluvialis (§. XLIII.) & in ſpecie
(2) quæ menſe Martio decidit (§. XLIV.)
(3) In quarum defectu purificandæ (§. XLV.) &, an
(4) multum purificari debeant, debito modo examinandæ (§. XLVI.) ubi
(5) Cautelæ attendendæ (§. XLVII) præſertim
(6) Inquirendi, qui ipſa febrientes continuos abluunt (§. XLVIII.) &
(7) minus ipſis credendum, ob rationes certas (§. XLIX.) quamvis
(8) Quædam adducant Argumenta (§. L.) quæ
(9) Examinantur, & præſuppoſitis quibusdam (§. LI.)
(10) Quid ſentiendum ſit, colligitur (§. LII.)
(11) Experientia ſuffragante (§. LIII.) &
(12) Non obſtante apparente illo, quod moveri poſſet dubio (§ LIV) æque ac
(13) Hippocratem & Hoffmannum velificatos ſibi eſſe (§. LV.) quippe cum nulla æque clara reddi poſſit felicis operationis ratio (§. LVI.)

Quibus brevibus integræ imponitur Opellæ Finis.

)o(